PINDARI THEBANI ... OLYMPIA. PYTIA. NEMEA. ISTHMIA. PER PHILIPPUM...

Pindarus, Philipp Melanchton

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
39 MG
38

PINDARI Thebani Lyrico RVM VETERVM Principis,

OLYMPIA. PYTHIA.
NEMEA. ISTHMIA.

[redacted]

Latinitate donata, nuncq; primùm in lucem edita.

Philipp Melancthone

VITTORIO EMANUELE · ROMA · BIBLIOTECA NAZ.

Cum gratia & priuilegio Imp. ad decennium.

BASILEAE, [redacted]

1558.

MAGNIFICO VIRO,

NOBILITATE GENERIS, ſapientia & uirtute præſtanti, Domino CHRISTOPHORO à CAROLOVVITZ, Conſiliario inclyti Regis Ro. Hungariæ & Boiemiæ, etc. patrono ſuo colendo,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NECESSE eſt diſcernere genera doctrinarum: ſapientiæ politicæ, quæ ex lege, id eſt noticijs quę diuinitùs inſitæ ſunt uniuerſo generi humano, oritur: & ſapientiæ quæ eſt Euangelij propria, & Eccleſiam Dei à cæteris gentibus diſtinguit. De hoc diſcrimine ut iuuentus cõmonefiat, ſæpe & libenter recito Angeli Politiani ſermonem de Pindaro & Dauide, prophanum quidem, ſed communem ualde multis, omnibus temporibus,

qui Eccleſiam Dei non norunt. Cum enim interrogaretur Politianus, quid de Dauidis pſalmis iudicaret? Ego uerò, inquit, illa antiqua poemata plena ſapientię eſſe uideo. Sunt ibi omnium uirtutum præcepta, ſunt commonefactiones de prouidentia, comminationes de ſceleratorum pœnis, et promiſſiones de iuſtorum præmijs & protectione. Inſertæ ſunt & ueteres hiſtorię illius gentis, & ut traderetur memoria uetuſtatis poſteris, & ſimul pœnarum & defenſionis exempla in cōſpectu eſſent. Hanc ſapientiam magnifacio, inquit, utilem uitæ & moribus: et figuras in ſua lingua concinnas eſſe exiſtimo. Et olim harmoniæ additæ ſunt, ad ciendos animorum motus accommodatæ. Sed in Pindaro, inquit, res eędem dulcius narrantur, & exemplis ſplendidius illuſtrantur. Hæc Politianus.

Etſi autem in Pindaro, ut poſtea dicam, ſententiæ ſunt de moribus, & de pœnis ſceleratorum, cum lege diuina congruentes, quia legis noticia nobiſcum naſcitur: & ſimiles quędam ſunt

in

in Pſalmis: tamen longè alia eſt Pſalmorum ſapientia. In hac deducimur ad uerum Deum, non ad commenticia numina: & repetitur promiſsio de Filio Dei, Domino noſtro IESV Chriſto, & de reconciliatione.

Hoc diſcrimen Pſalmorum & Pindari initiò conſiderandum eſt. Poſtea cogitetur, ad quid proſit Pindari lectio. Vt multi alij poetę & ſcriptores hiſtorici extra Eccleſiam, narrant alij alias hiſtorias, & intexunt ſententias & admonitiones uitæ utiles, ut Homerus, Herodotus & alij: ita Pindarus magnam partem ueteris Græcæ hiſtoriæ recitat, Pelopidas, Argonautas, Aeacidas, quorũ memoria præcipuè delectatur. Nam ordine Aeacum, deinde Pelea, Telamonem, Achillem & Aiacem pręadicat. Laudat & urbes, & quarundam initia commemorat: ut Cyrenes & Thebarum. Athenas cum præ cæteris laudaſſet, irati Thebani mulctam ei indixerunt: quam Athenienſes, cum nollent ei officium, quod ipſis tribuerat, damno eſſe, ſoluerunt.

Legatur ergo Pindarus propter ue-

terem hiſtoriam: præſertim cum multa narret, quæ nuſquam alibi extant. Quædam interdum fabulis inuoluit: ut cum ait, Tantalum punitum eſſe, quòd adhibitus ad deorũ epulas, ambroſiam furatus ſit. quo inuolucro ſignificat aliquam religionis uiolationem. Bellerophontem, inquit, cum Pegaſo uectus ſæpe uiciſſet magnos hoſtium exercitus, tantis elatum ſucceſsibus, Pegaſo uoluiſſe intra cœlum uehi: ſed excuſſum, in terrã delapſum eſſe, & crus fregiſſe, ac poſtea mœrore extinctum eſſe. qua pictura ſignificat, infœlices eſſe conatus omnium hominum, qui erumpentes extra metas ſui loci, altiora concupiſcunt: ut exempla oſtendunt omnibus ætatibus. Antonius non contentus dimidia Imperij Romani parte, cum ſolus regnare uellet, prorſus opprimitur. Vt conſtat, hanc ſalutarem admonitionem etiam diuina autoritâte traditam eſſe. Iubet enim Paulus eo nos excellere, uidelicet ſtudio quietis, & propria faciendi: ſignificans, ambitioſas naturas excellentiam quærere contrario modo, ſcilicet

licet ſtudio turbandi ordinem gubernationis, & erũpendi extra metas proprij officij.

Hiſtorijs uerò intexit ubiq; grauiſſima pręcepta: ac præcipuè de iuſticia, & de modeſtia, de pœnis iniuſtè rapiẽtium aliena: & eorum qui ſtulta ambitione moti, non neceſſaria bella mouent. Grauiſsimè inquit, Εα πόλεμον, ἔα μαχὰν χωρὶς θεῦ. Ac ſæpe monet, eas pœnas non caſu accidere, ſed diuina prouidentia regi, & ordine diuinitùs ſancito ſcelerum comites eſſe.

Talis fuit uetus ſapientia, narrationi hiſtoriarum addere præcepta, ut uitæ regulas cum illuſtribus exemplis coniungerent: & homines perterrefactos mirandis ruinis potentium Regum et Principum, ad iuſticiam & modeſtiam flecterent.

Virgilius, paucis uerbis mutatis, ſumpſit à Pindaro ſententiam, quę eſt uelut argumentum uniuerſæ mundi hiſtoriæ:

Diſcite iuſticiam moniti, & nõ temnere Diuos.

Hanc uocem ait Pindarus aſsiduo clamore repetere cruentum Ixionem,

 in ro-

in rota iacentem: ut exemplo ſuæ pœnæ diſcant homines, eſſe Prouidentiā uindicem, ac punientem ſcelera: nec laxent frenos cæcis & errantibus cupiditatibus, ſed ſemper intueantur lucentem in mentibus noticiam diuinitùs accenſam, quę diſcernit iuſta et iniuſta: & ſeueriſsimè præcipit iuſta, & prohibet contraria.

Aliquid in naturis non monſtroſis cōducunt ad regendos mores, crebra cogitatio de uirtute, lectio & conſideratio exemplorum, & diligentia excitata lectione & uoce ſapientum, adſuefaciens animos ad curam frenandi immoderatos impetus. Et magis penetrāt in animos talia ſcripta, in quibus dulciſsimè mixta ſunt hiſtorijs præcepta: quod cum in Pindaricis carminibus ſplendidiſsimè & ſuauiſsimè fiat, nihil dubiū eſt, eorum lectionem bonis naturis ualde prodeſſe.

Multa Dircæum leuat aura cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus:——inquit Horatius.

quod ueriſsimū eſſe, lectores animaduertent, cū uidebunt Pindarum, ſumpta

pta occaſione ex urbis aut familię alicuius origine, relicto humili argumēto, uelut euolantem in ſublimem æthercam regionē, lætiſsimo cantu ueteres hiſtorias celebrare.

Sæpe igitur iuuentus hunc cygnū audiat. Sæpe legat eius dulciſsima carmina, quæ omnibus temporibus gratiſsima ſapientibus fuerunt. Alexander Macedo uulneratus agnouit, militem Thebanum eſſe, qui procul magno clamore quaſi conſolaturus Regem, pronunciauit uerſum Pindari, ῥέζοντα τὶ καὶ παθεῖν ἔοικεν. Nec arbitror tantum ſono motum eſſe Alexandrū, qui Bœotijs communis erat: ſed uerſum inſignem agnouiſſe. Nec uetuiſſet Pindari domum deſtrui, in excidio Thebarum, niſi dulciſsimis eius ſcriptis delectatus eſſet.

Nota ſint igitur & noſtrę iuuentuti. Ac ut à pluribus legi & intelligi gręca poſsint, Latinam interpretationem edidi, quæ utcunq; ſententias reddit: omiſsis interdum epithetis, quæ obſcuritatem in Latina lectione allatura erant.

Etſi autem hæ tenues pagellæ non ſunt munus conueniens tanto uiro, cui propter ſapientiam & uirtuté, partem gubernationis Reges & Principes tribuunt: tamen cum ſcirem, te & inter cæteras res uitę neceſſarias, tuendas gubernatori, etiam complecti curam conſeruandi literas & doctrinas, quæ ſunt nerui legum, religionis, diſciplinæ, & multarum artium quæ uitæ neceſſarię ſunt: ſperaui tibi non ingratum fore, ſi tui nominis mentio in hac editione fieret, prę ſertim cum eruditæ antiquitatis & ueterum hiſtoriarum cognitione maximè delecteris. Teq́; oro, ut hãc ſignificationem mei erga te ſtudij, boni conſulas. Id ſi non merentur hæ pagellæ, tamen Pindari nomini tribuito: quem iuniores auidius legent, cogitantes hunc ueterem ſcriptorem à te quoq; magnifieri. Bene uale.

PIN-

PINDARI OLYMPIA, EX PRAELECTIONE Philippi Melanchthonis.

HIERONI SYRACVSANO κέλητι. Ode I.

OPTIMA *res eſt aqua. Aurum excellit in ſuperbis diuitijs, ſicut excellit fuluus ignis nocte. Sed ſi certamina narrare cupis, ô anime, non aliud ſole uideris ardẽtius aſtrum in die per deſertum æthera: neq; Olympico agone præſtantiorem alium celebrabimus. Vnde celeberrimus hymnus oritur ſapientum cogitationibus, ut celebrent Iouem, euntes ad diuitem domũ Hieronis, qui tenet iuſtum regnum in diuite Sicilia, decerpẽs ex ſingulis uirtutibus cacumen. Lætatur & muſices flore, ut uiros ſæpe in conuiuijs ludere uidemus. Sed Doricam citharam prehẽdito à clauo, ſi tibi Piſæ & equi uictoris iucunditas mouit mentem ad dulces cogitationes: quando ad Alpheum incitauit equi corpus ſine flagellis, & curſu dominum fecit uictorem, regem Syracuſium, equis gaudentem. Lucet eius gloria apud Lydij Pelopis coloniam, quem Neptunus amauit,*

rum eſſe in caput, aberrat à lætitia. Habet autē miſerā uitam & ærumnoſam, cum tribus quartum laborē: cum Ixione implicito rotæ, cum Tityo qui roditur à uulture: quòd furatus dedit æqualibus ſuis conuiuis nectar & ambroſiam, in quibus rebus Dij immortalitatem poſuerūt.

Si quis faciens ſcelus, putat id Deum latêre, errat. Ideo Dij remiſerunt Pelopem ad homines: cui ad florentem ætatem, cum lanugo nigrum ei mentū coronabat, curauit paratas nuptias, ut haberet inclytam Hippodamiā, filiam Oenomai regis Piſæ. Noctu autē ſolus ad mare accedens, uocabat Neptunum: qui mox apparuit ei. Dixit autem Pelops: Si tibi hoc coniugium placet, impedias haſtam Oenomai æneā: meq́; in curru celerrimo ducas ad Heliden, & mihi dato uictoriam. poſtq́; tredecim procis interfectis, differt nuptias. Res periculoſa poſtulat uirum non timidum.

Cum autem alioquin neceſſe ſit mori, cur aliquis ſedens in tenebris, obſcura ſenecta maceretur, gloriæ expers? Ego certamen aggredior, tu præbeto gratum euentum. Sic dixit Pelops, nec irrita fuit petitio: ac lætificans Deus Pelopem, dedit ei currum aureum, & indefeſſos equos. Cæpit igitur ualidum Oenomaum, et uirginem coniugem: quæ peperit ſex filios, princi-

pes

pes uirtutem curantes. Nunc inter ſepultos iacet, ad Alpheum, apud aram frequentiſsimam: & aſpicit celebritatem Olympicorum certaminum, ubi uelocitas pedum certat, & uigor roboris. Victor autem poſtea in mellita tranquillitate uiuit, propter uictoriæ præmia. Sic ſemper id bonum ſummum dicitur, quod illo die contingit, quo fructum percipimus ſuperiorũ laborũ.

Me uerò coronare uictorẽ equeſtri lege Aeolico carmine oportet. Confido enim, neminem poſſe me laudare alium magis excellentẽ ſcientia honeſtarum rerum, & potentia, eorum qui nunc ſunt, quàm Hieronem.

Deus cuſtos, conſeruans tuam gloriam, curat tuas ſollicitudines. Hic ſi me non citò deſtituet, ſpero me dulciori carmine te celebraturũ eſſe, cum in curru celeri accedam ad Iouis templum, inuenta materia. Mihi Muſa telum præbet ualidiſsimũ. Alij alijs rebus excellunt. Summum uerò decus eſt Regum. Ne maiora appetas. Contingat tibi in tota uita excellere: mihi uerò, familiarem eſſe uictoribus, conſpicuo per Græciam propter ſapientiam.

ODE

ODE II.

Theroni Agrigentino ἅρματι.

HYmni regnantes in cithara, quem heroum aut quem uirum interrogabimus? Piſa quidem Iouis: Olympicum uerò certamen inſtituit Hercules, primitias ſpoliorũ belli. Sed Theronem ſonabo, propter uictoriam curruũ, iuſtum hoſpitem, murum Agrigenti, nobilium progenitorum florem, rectorem urbium: qui progenitores defatigati occuparunt ſacram urbem, dictam à fluuio Acragante. Et fuerunt Siciliæ oculus, quos fortunata ætas ornauit, dans diuitias & fauorem cum natiua uirtute.

O` Iupiter, qui poßides Olympi ſedem, & certaminum uerticem, & flumen Alpheum, & delectaris carminibus, benignè patriam curato poſteris. Quæ uerò facta ſunt ſeu iuſtè ſeu iniuſtè, hæc tempus omnium pater non poſſet facere infecta. Sed bona fortuna obliuionem talium adferre poteſt. Nam ſequenti gaudio præterita mala odioſa oppreſſa moriuntur, quando diuina prouidentia tandem mittit fœlicem exitum.

Congruit hic ſermo & ad Cadmi filias, quibus cum grauia paſſæ eſſent, luctus deſijt, propter potiora bona. Viuit nunc comoſa Semele, icta fulmine. Amãt eam Pallas, Iupiter, & Bacchus.

chus. Dicunt & Ino inter Nerei filias in mari habere uitam immortalẽ. Nec uerò certum hominibus mortis tempus eſt: neq; ſcimus, quando diem tranquillum cum bono ſtabili habituri ſimus. Fluctus aliàs alij accedũt ad homines, læti & triſtes. Sic fortuna, quæ paternam fœlicitatem Deo mouente adfert, adducit & alio tempore contrariũ malũ. Poſtquàm occidit Laium occurrens filius, & perficit oraculo prædictam necem. Sed ſæua Erinnys occidit ei mutua cæde Martiam ſobolem: ex qua Therſander ſuperſtes fuit cadenti Polynici, honoratus nouis pugnis in altero bello, germen filiæ Adraſti: unde generis originem habent maiores Theronis. Decet igitur nos lyra & encomijs celebrare Aeneſidami filium Theronem. nam in Olympijs ipſe coronam accepit. In Pythico autẽ agone & Iſthmico communis gloria: cum fratre duxit coronas quadrigarum.

Succeſſus uerò in certamine, finis eſt curarum. Diuitiæ etiam uirtute ornatæ, adferũt opportunitatem uariarum rerum, præbentes profundam curam & aſperam. Sunt ſtellæ & lumen homini. Nam has qui poßidet, ſcit poſt mortem iniuſtas mentes luere pœnas. Nam delicta in hoc Iouis imperio punit quiſpiam ſub terra, dicens ſententiam ingrata neceßitate. Boni uerò

ni uerò uita fruuntur ſine labore, ſemper æqualiter noctu & interdiu ſolem habentes, non terram turbantes robore manuum, nec mare propter inopiam. Sed iuſti apud Deos lætam uitã agunt: mali uerò horribilem cruciatum ſuſtinent. Quicunq; autẽ ter in utroq; loco manentes abſtinuerunt ab iniuſticia, perfecerunt Iouis uiam ad urbem Saturni Tyrſim, ubi Beatorum inſulam Oceani auræ perflant, ubi flores aurei fulgent in terra & arboribus, & in aqua. Vnde monilibus & coronis implicant manus, cum Rhadamantus rectas ſententias dicit: quem Saturnus ſibi aſſeſſorem adiunxit, maritus Rheæ, tenentis ſupremum thronum. Peleus & Cadmus inter hos numerantur: quò & Achillẽ Thetis tranſuexit, cum Iouis pectus precibus flexiſſet, qui Hectorem columnã Troiæ rectam euertit, & interfecit Cycnum & Memnonem.

Multas adhuc gero ſagittas ſub cubito in pharetris, ſonantes intelligentibus, quæ in populo indigent interprete. Hic ſapiens eſt, qui naturà multa ſcit. Alij, qui tantum imitantur aliena, ſunt uelut corui petulantes et garruli, certantes cum aquilis.

Nunc dirige arcum ad metam, quam petimus, mittentes glorioſa tela ex beneuolo corde. Tendas ad Agrigentum. Dico iurans, intra cen

[library stamp]

tum annos nullam ciuitatem peperiſſe uirũ magis beneficum amicis, et liberaliorem, Therone. Sed magnæ laudi oppoſuit ſe iniuſtè inſolentia ignauorum uirorum, uolens obtrectando honeſta obruere malis factis. Vt autem arena nõ poteſt numerari: ſic nemo beneficia, quæ Theron alijs præbuit, numerare queat.

ODE III.

Eidem Theroni εἰς θεοξένια.

CAſtori & Polluci & Helenæ opto, honorãs Agrigentum, & faciens hymnũ, ut ſit ornamentum equorum indefeſſorum Theronis. Adeſt mihi Muſa inuenienti nouum modum, ut lætam uocem accommodem Dorico pedi. Nam coronæ iubis additæ, exigunt à me hoc diuinum debitum, ut citharam & tibias & carmina Theroni decenter miſceam. Et Piſa iubet me canere, à qua diuinæ cantiones ad homines redeunt, quibus uir Aetolus iudex certaminis faciens mandata Herculis, glaucam coronam ex olea imponit, quam attulit Hercules ab opaci Iſtri fontibus, ut eſſet monumentum Olympicorum certaminum. quando perſuaſit Hyperboreos, & placidè petiuit Iouis templo umbroſum germen, quod eſſet communis hominibus uirtutis corona. Iam enim Ioui aris initiatis, luna plena

na ueſpere complebat orbem, & magnorũ certaminum inſtabat iudicium, cum Hercules conſtituiſſet quinquennalem ludum ad Alpheum. Nec tamen locus Pelopis in ualle Chronij producebat pulchras arbores.

Cum igitur hortis uacuus eſſet, ſubiectus ſolis fulgori, tunc animus impulit eum, proficiſci ad terram Iſtrianam: ubi eum Diana excepit, uenientem à iugis & angulis Arcadiæ: quando eum mandato Euryſthei coactio diuina incitauit, ut ceruam habentem aurea cornua adduceret, quam Taygeta filia Atlantis dedicauerat Dianæ. Hanc ceruam ſequens, uidet terram poſt frigidum Boream. Ibi ſtans, admiratus eſt arbores, & eas expetiuit, ut ſereret iuxta curriculũ equorum.

Nunc igitur Hercules, cum Caſtore et Polluce propitius ad hoc feſtum redit. Is enim mandauit diſcedens ad Olympum, ut hoc ſpectaculum regerent, in quo uiri uirtute certant, & curruũ agitatione. Me igitur impellit animus, dicere gloriã Theroni, quam dant ei Tyndaridæ: quia Theron colit eos maxima hoſpitalitate, piè ſeruans ſacrificia.

Excellit quidẽ inter res aqua, & inter opes aurum: Theron uerò perueniens ad ſummã uirtutem excellit, & domeſtica uirtute Herculis

 attingit

attingit columnas, ultra quas progredi nec ſapientes nec inſipientes poſſunt. Nec ego uelim cò ſequi: uanus enim eſſem.

ODE IIII.

Pſaumidi Camarinæo ἵπποις.

IVpiter tonans, tuæ Horæ reuolutæ miſerunt me, ut ſim teſtis certaminum carmine. In ſecundis rebus amicorum lætantur boni, audito dulci nuncio. Sed ô Iupiter, qui Aetnã habitas, onus uentoſum Typhonis, accipe grati.. ũ cauſa hoc triumphale carmen, perpetuũ lumen uirtutum. Pſaumidis enim curribus uenit, qui olea piſatide coronatus, gloriam excitare parat ſuæ patriæ. Deus reliquis eius uotis ſit beneuolus. Libenter enim equos alit, et hoſpitalitatem exercet, & amat patriam ſyncera mente, et ſtudet tranquillitati. Nec falſa loquar. Experientia enim homines oſtendit. Quæ Clymeni filiũ Erginum liberauit probro Lemniacarum mulierum: qui uincens curſu, dixit Hypſipylæ coronã petens: Tali ego ſum uelocitate, manus & cor adhuc ualent. Sæpe & in iunioribus cani naſcuntur, & præter congruum ætatis tempus.

ODE V.

Eidem Pſaumidi τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, καὶ κέλητι.

O' Camarina, Oceani filia, accipe hilari corde florem coronarum, pro excellentibus uirtutib. in Olympicis, et pro curru Pſaumidis: qui tuam urbẽ augens, ſex geminas aras honorauit ſacrificijs quinq; dierum, equis, mulis, & unico equo. Tibi uerò Camarina gloriã uictoriæ adfert, & patrem Acrona prædicauit, & urbem recens conditam. Rediens autem domum à Piſa, te Pallas honorat, & fluuium Oanum, & paludem & canales, quibus Hipparis rigat exercitum: & addit terrã urbi, alluuione adferens commoda urbi.

Semper autem in Virtute labor & ſumptus pugnant, ut opus periculo tectum aſſequantur, & potiti celebrantur à ciuibus. O' Iupiter, habitans tumulum Chronium, & honorans Alpheum et Idæum antrum, accedo ad te ſupplex, ſonans Lydijs tibijs, petiturus ut ornes hanc urbem egregijs uictorijs: & ut uictor delectans ſe equis, habeat ſenectam lætam uſq; ad finem filijs ſuperſtitibus. Si quis autem ſanus, fruẽs ſuis bonis, contentus facultatibus habet gloriam, ne poſtulet Deus fieri.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ODE VI.

Ageſiæ Syracuſio filio Soſtrati ἀπήνῃ.

VT ſplendidam domũ extructuri, aureas columnas in ueſtibulo ponimus (oportet enim initia ſplendida eſſe) ita ſi adſit talis uictor, qui eſt uates & conditor Syracuſæ, talis uir quo hymno celebrandus eſt, occurrens non inuidis ciuibus in cantu? Stet enim in hoc rhythmo pedem habens Soſtrati filius. Virtus autem neque apud uiros, neq; ignauis ſine periculo eſt. Et ſi quid præclare factum eſt, multi meminerunt. O' Ageſia, tibi laus parata eſt, quam iuſtè Adraſtus Amphiarao olim uati tribuit, poſtquam terra eum & equos abſorpſit. Septem enim ducibus conſumptis in rogis, dixit Adraſtus: Deſidero oculũ exercitus, uatem bonum, & bellatorem. Id præconiũ adeſt & huic Syracuſano. Non eſt æmulator, neque rixoſus, quod iuramento teſtari poſſem: melliſonæ uerò Muſæ aſſentiuntur.

O' mea mens, iungito mulas citò, ut in ſemita pura collocem currum, & ueniam ad genus uirorum. Nam hæ mulæ præ alijs norunt uiam, poſtquam acceperunt coronas Olympicas. His igitur portæ hymnorũ aperiantur. Hodie enim

neceſſe

neceſſe eſt eas accedere ad Pitanam. iuxta Eurotæ curſum debito tempore, dicitur Euadnen uiolaceo capillo peperiſſe: occultaſſe autẽ clandeſtinum fœtum gremio, & ſuo menſe editum miſiſſe alendum Aepyto Arcadum regi, qui & Alpheo dominabatur. Ibi educata Euadne, ab Apolline cõpreſſa eſt. Nec uerò ignorauit Aepytus grauidam eſſe. Reprimens autem occultam iram, citò abijt Pythonem, ſciſcitatum oracula de hoc caſu. Illa deponens zonam, & urnam argenteã, ſub opacis dumis peperit filium uatidicum: cui Apollo adeſſe curauit Lucinam & Parcas. Prodijt igitur in lucem à partu Iamus, quem mœſta reliquit humi. Duo autem dæmones eum aluerũt, Deo uolẽte, innoxio apum ſucco. Poſtquam autem Aepytus redijt, interrogauit omnes de puero nato ex Euadne. Ait enim, natum eſſe Phœbo patre: fore autem uatem eximium, nec poſteritatẽ eius ceſſaturam eſſe. Sic cum dixiſſet, nemo ſe ſcire dicebat: iamq́; dies quintus erat à partu, & tectus erat iunco in rubis, ignotis uiolis humectans corpus: unde & mater ei nomen dedit.

Cum autem pubertatem attigiſſet Iamus, acceßit ad Alpheum, & rogauit Neptunũ et Phœbum, ut ſibi tribuerent artem honorificam, populo utilem. Reſpondit igitur ueridica uox

patria, & uiciſſim eum allocuta eſt; Surge fili, imus ad communem regionem, famam inuentu ri. Venerunt igitur ad celſam Acronij rupem, ubi duplicem ei theſaurum uaticinij tribuit, ut tunc oracula redderet. & cum ueniret Hercules, & hoc certamen inſtitueret, ibi oraculi ſacellum conderet: inde celebre fuit genus Iamidarum, & diuitijs potens. At qui honorant uirtutem, fiunt clari. Vnumquemq; autem res ipſa oſtendit. Obtrectator autem pendet ex alijs, qui inuident uictoribus, quos ornat gratia.

Si autem uerè maiores Ageſiæ, ſub Cyllenæ monte Arcadiæ habitantes, piè honorarũt Mercurium, qui gubernat certamina, & Arcadiæ præeſt: hic tibi cum Ioue fœlicitatem perficit.

Habeo in lingua & aliam opinionem, quæ me uelut cos acuit, & delectat me in carmine. Auia mea Arcadica Theben equeſtrem peperit, cuius ego aquam bibo, nectens bellatoribus hymnos. Excita ſocios Aenea recitator, primùm ut celebrent Iunonem Partheniam: deinre ut notum fiat, nos effugiſſe probrum, quod nobis obijcitur, Sus Bœotia. Es enim idoneus nuncius Muſarum. Iube & mentionem facere Syracuſarum, et Ortygiæ, quam Hiero iuſtè gubernans, ueneratur Cererem & Proſerpinam & Iouem. Celebrant Hieronem ſuaues Cithe-

re, ne ueniens ætas concutiat eius fœlicitatem. Hic excipiat lætus redeuntem Ageſiam, ex ueteri patria Arcadia, in patriam Siciliam. Prodeſt in tempeſtate nauem fulcire duabus anchoris. Deus autem hæc & illa fœliciter gubernat. O' Neptune, da ei nauigationem ſine periculo, & meorum carminum florem leuato.

ODE VII.

Diagoræ Rhodio πύκτῃ.

V*T ſi quis diuite manu phialam capiens, intus uino bullientem, donet nouo genero præbibens, ac transferat ex domo una in aliã auream poſſeßionem & ſympoſij decus, honorans generum præſentibus amicis ad cõcordem thorum: ſic ego nectar carminũ uictoribus mittens, dulces fructus gratificor eis.*

Fœlix, quem bona fama amplectitur. Aliàs alium gratia uiuificans reſpicit, cum cithara & fidibus. Nunc uerò cum cithara & tibijs cum Diagora deſcendi, celebrans Rhodum, Veneris filiam, & Solis ſponſam, ut fortem uirum coronatum ad Alpheum laudem, & patrem Demagetum, habitantes inſulam Aſiæ prope Embolum, cum Argiua multitudine.

Volo autem ortis à Tlepolemo Herculis filio commune præconium recitare, quibus ge-

nus paternum à Ioue eſt, maternum uerò, ab Aſtydamia. In hominum mentibus pendent multi errores: & difficile eſt eligere, quod ſimul & in præſens bonum ſit, & in futurū. Nam Tlepolemus iratus, interfecit Licymniū, Electryonis filium, feriens ſceptro. Ira & ſapientes turbat. Cum autem ſciſcitatus eſſet oraculum, iußit Apollo claſſem ex Lernæo littore mittere ad inſulam paſcuam, ubi niue aurea rigauit urbem Iupiter: quando Vulcani arte, ænea bipēni Pallas ex uertice Iouis erumpēs, adcò altum clamauit, ut perterrefieret cœlum & terra.

Tunc ſol iußit filios ſuos obſeruare rem futuram, ut Palladi aram primi conderent, ut pia ſacra facerent, & Iouem placarent, & Palladem haſtatam. Prometheus adfert hominibus uirtutem & læticiam: ſed tamen accedit obſcura nubes obliuionis, & rectam uiam negotiorum aufert ex mentibus. Aſcenderunt enim ad ſacrificandum, non habentes ignem: dumq; aram faciunt in arce ſine igne, Iupiter flauam nebulā adducēs, multum auri depluit. Pallas uerò dedit omnes hominum artes, & in uijs Rhodi erant ſtatuæ ſimiles animantibus. Et erat magna gloria. Maior eſt ſapientia, & incorrupta, eius qui didicit.

Dicunt autem ueteres narrationes, cum Iupiter

piter & alij dij diſtribuerent terram, nondum conſpicuam fuiſſe Rhodum in mari, ſed adhuc in ſalſis uadis occultatam fuiſſe. Cumq́; abſente Sole nulla ei pars oſtenderetur, & poſtea mentio eius rei fieret, Iupiter retractaturus erat ſortitionem. Sed ſol id fieri non conceßit, dicens ſe uidere in mari creſcentem terram ex fundo, uberem hominibus & pecudibus. Iußit igitur ſtatim Lacheſin extendere manum, & iurare non falſum iuramentum: & cum Ioue promittere, emiſſam hanc terram in aerem ſibi propriam fore. Huic dicto reſpondit euentus: & germinauit in mari inſula, cui Sol dominatur. Ibi Rhodo mixtus, genuit ſeptem filios, ſapientia excellentes apud ueteres: quorum unus Camirum, Ialiſum et Lindum genuit. Hi inſulam in tres partes diuiſerũt, et ab ipſis oppida nominata ſunt. Ibi liberatio calamitatis Tlepolemo facta eſt, et inſtitutum ſacrificium & certamen: cuius floribus Diagoras bis coronatus eſt, & in Iſthmo uicit quater, & in Nemeis & Athenis. In Argo etiam æneo clypeo donatus eſt. Vicit & in Arcadia, Thebis, Aegina, & Pellena Achaica, & in Megaris non alterius nomen inſcriptum eſt lapidi. O' Iupiter, honora hunc uictorem, daq́; ei uenerandã gratiam apud ciues & apud exteros: quia rectè ambulat in uia iuſta. Tu cum

ſcias

ſcias, quæ hunc paternæ mentes bona docuerint, ne occulta ſemen Callianactis. Habet & Rhodus ſacrificia Eratidarū. Sed ſubitò aliàs alij flatus excitantur.

ODE VIII.

Alcimedonti παλαιστῇ,
Timoſtheni παλαιστῇ,
Meleſiæ ἀλείπτῃ.

O Olympia mater certaminum, & domina ueritatis, tibi uates ex flamma diuinantes explorant, an Iupiter curet homines, magnum decus quærentes, & laborum requiē. Perficitur autem hæc diuinatio in gratiam piorum, qui ſupplicant. Et tu ô Piſa, accipe hunc hymnum. Magna gloria eſt, cui contingit ſuum munus. Alia uerò alijs bona eueniunt, & Deus uarijs modis benefacere poteſt.

Vos autem Aeginetas adiunxit fatum Ioui, generis autori: te Timoſthenem in Nemeis conſpicuum, Alcimedonta in Olympijs. Erat formoſus, & factis ornans formam. nam Aeginam patriam celebrauit, cum uiciſſet lucta: ubi exercetur Iuſtitia, aßidens apud Iouem hoſpitalem, magis quàm colunt eam alij homines. Vbi magna multitudo confluit, difficile eſt rectè iudicare. Sed lex diuina hanc inſulam uarijs hoſpiti-

bus

bus conſtituit eſſe fœlicem columnam. Veniens tempus ſeruet inſulam, attributam Dorienſibus poſt Aeacum: quem Apollo & Neptunus, ædificaturi murum Ilij, ſibi adiunxerunt ſocium ædificationis: quia erat fatum, in bello rapido igni Troiam perituram eſſe. Poſtquam autem noua turris extructa eſt, tres dracones aſtiterunt: quorum duo deciderunt, & afflicti mortui ſunt. tertius uerò uehemẽti clamore irrupit. Id prodigium interpretatus eſt Apollo: Pergama capientur ea parte, qua tuũ opus eſt, ut hoc oſtentum ſignificat. Capientur autem non ſine tuis filijs. Domabitur autem cum primis & quartis. Hæc cum planè dixiſſet Deus, properauit ad Xanthum, & ad equeſtres Amazones, ac ad Iſtrum. Neptunus uerò ad Iſthmum currum agitauit, comitans Aeacum aureis equis, & ad Corinthi iuga uiſurus ſacrificium.

Idem uerò non delectat omnes. Quare ſi Mileſiæ occurram hymno ad gloriam, quam nactus eſt imberbis, ne me aſpero lapide feriat liuor. Nam & poſtea uirili ætate in Nemeis uicit pancratio Hæc ſimilis gloria eſt priori. Docere facile eſt ſcienti. Stulticia eſt autem, non prius diſcere. Et nõ experti, ſtultiores ſunt. Expertus, opera ſua melius dicere poteſt, quàm alij, qui modus ex certaminibus uirũ ad gloriã adducat.

Nunc

Nunc ei Alcimedon decus eſt, nactus uictoriam triceſimam: qui Deo iuuante, & non ſine uiribus, iuuenibus reditum odioſum, & ingloriam linguam, & iter occultũ fecit. Auo autem ſuo læticiam attulit. Cui accidunt grata, mortem obliuiſcitur.

Decet autem me & Blepſiadas celebrare, & dicere uictrices eorum manus, qui nunc ſextam coronam habent. Nam & ad mortuos pertinet gloria poſterorum, nec puluis obruit cognatorum gloriam. Iphion proauus audiens Mercurij filiam Famã, dicet Callimacho uictoriam in Olympijs, quem Iupiter ei cognatum dedit. Addat autem Iupiter his bonis alia bona, et depellat ſæuos morbos. Opto etiã, ne in hac glorioſa uita Nemeſis inimica ipſi noceat: ſed ut agens uitã tranquillam, augeat ſuos & patriã.

ODE IX.

Epharmoſto Opuntio παλαιςῇ.

ARchilochi carmen ſonans in Olympia, glorioſe uictor ô Callinice, ter cantatũ ſatis fuit apud Chronium tumulum, ut præiret Epharmoſto ducenti ſodales. Nunc uerò accedo Iouem his carminibus, & promontorium Helidis, quod Lydius Pelops accepit dotis loco ab Hippodamia. Mitte ſagittam & ad Pythonem.

rīem. Non humili oratione utaris, propter luctas huius uiri, citharam ſcriens, qui oriundus eſt ex Opunte. Laudabis autem & urbem & ciuem, quam Themis, & filia eius Eunomia ſeruatrix regit. Floret autē ea urbs uictorijs Pythijs et Olympicis, unde coronæ matrem Locrēſium attollunt. Ego autem charam urbem ſplendidis illuſtrans carminibus, undiq; hanc famam ſpargam celerius equo & naue, ſi fœliciter excellenti Gratiarum horto fruar. Hæ enim præbent delectabilia. Et boni & ſapientes ex Deo ſunt. Quomodo enim Hercules tridentem mouiſſet clauam, quando ad Pylum ſtans Neptunus ſuſtinuit eum? Et pugnans cum Apolline, ſuſtinuit eum? Nec Pluto immotam tenuit uirgam, qua mortalia corpora deducit ad cauum uicum. Sed abijce hunc ſermonē: quia cōuiciari Dijs, odioſa ſapientia eſt. Et gloriatio intempeſtiua, inſaniæ conſonat. Non ſtridas talia. Omitte bellum, omitte pugnam ſine Deo.

Conuertas autem linguam ad urbem Protogeniæ Opuntem, ubi Deucalion & Pyrrha deſcendentes ex Parnaſſo, condiderunt domum, et ſine concubitu nacti ſunt hominibus ſimilem fœturam lapideam. Excita dulce iter carminum, et lauda uetus uinum, & florem nouorum hymnorum. Narrant, nigram terram obrutam eſſe a-

quis:

quis: ſed Iouis conſilio exundationẽ cepiſſe refluxum. Ex his orti ſunt ueſtri progenitores filij Iapeti, ex filiabus Iouis Reges indigenæ. Antea Iupiter filiam Opuntis protogeniam rapiẽs ex terra Epeorum, clam ei mixtus eſt, & ad Locrum eam traduxit, ne ſine prole decederet. Peperit autem uxor ſemen generoſiſſimum: & heros uidens filium ſuppoſiticium, nominauit eum nomine aui materni Opuntẽ: & dedit ei urbem & populum regere.

Acceſſerunt autem eò hoſpites ex Argo, Thebis, Arcadia, & Piſa. Præcipuè autem honorauit filium Actoris et Aeginæ Menœtium. Cuius filius Patroclus ueniens cum Atridis in campũ Teutrantis, perſtitit cum Achille ſolus, quando Telephus compulit Græcos fugere in naues. Vnde cognoſci potuit Patrocli fortitudo, & prudẽtia. Quare Achilles in pernicioſo prælio eum monuit, ne in acie ſine ipſo præliaretur.

Vtinam ſim inuentione & eloquutione fœlix in Muſarum ſolio, & ſim animoſus & copioſus. Veni laudator, Virtute duce, ad Iſthmias coronas Lampromachi: quando ipſe & Ephar moſtes uno die ambo uicerũt. Deinde aliæ duæ uictoriæ in Corintho partæ ſunt, & in Nemeæ ſinu: & uir factus uicit in Argis, adoleſcens Athenis. Quale uerò ſuſtinuit certamen, diſcedẽs

ab

ab imberbib. pro argenteis phialis, ubi uicit uiros celeri dolo, ſine lapſu? Quali uoce, forma & gloria percurrit circulum? Admirati ſunt eum & Arcades, in certamine ad templum Iouis Lycæi: & quando accepit in Pellene ueſtem, quæ arcet frigus. Teſtis eſt ei uirtutis & Iolai tumulus, & Eleuſis.

Valere natura præcipuum eſt. Multi & arte decus acquirere conati ſunt. Sed quod non eſt ex Deo, rectius eſt tacere. Nam aliæ uiæ alijs potiores ſunt. Non eadem negotia omnibus conueniunt. Sapientia quidem ſublimis eſt. Hoc tandem adferens præmium, arduus currito alacriter, uidens hunc uirum diuinitus natum, & fortem, & robur eius, qui uictor in Oileis coronauit aram Aiacis Oilei.

ODE X.

Ageſidamo Locro Italico puero πύκτῃ.

Victorem reuocate mihi ad memoriã Archeſtrati filium, ubi in mea mente ſcriptus ſit. Cum enim dulce carmen ei debeam, oblitus ſum. O Muſa, & o ueritas, recta manu arcete mendaciorum probrum, delinquens in hoſpites. Nam longum tempus dedecorat meum debitum. Sed tamen reprehenſionem uſura ſolue

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

re poteſt. Nunc ubi fluctus mergit uoluntatũ calculum, & ubi ſoluemus carmen ad gratiam? Regit enim ueritas urbem Locrorũ, & curæ ſunt eis Calliope & Mars. Fugauit & Herculẽ Cycnus. Poſtquam autem uicit Ageſidamus pugil in Olympijs, Iolao gratiam referat, ſicut Achilli Patroclus. Sic Deo iuuante, uirum fortem acuit uir ad gloriam. Pauci uerò adipiſcuntur gloriã, quæ eſt uitæ lumen, ſine labore. Me Iouis leges hortantur canere excellens certamen, quod inſtituit Hercules ad Pelopis tumulum, poſtquam interfecit Neptuni filios Cleatum & Eurytum, ut à ſuperbo Augea mercedem pro miniſterio poſceret. Nam ſub Cleonis Hercules inſidians eis inter dumos, domuit eos: quòd & antè Tirynthium exercitum profligauerant Molionidæ, ſedentem in angulis Helidos. Sed deceptor hoſpitum Augeas poſtea uidit diuitem patriam in igni & ferro, ſedentem in profundo fluxu calamitatis. Ex bello potentiorum euadere difficile eſt. Et Augeas ſtultitia tandẽ captus, mortem non aufugit. Itaq; Hercules Piſæ totum congregans exercitum, & omnem prædam, tunc lucum patri conſecratum munijt. Et mundo loco intus ſacellum, campum uerò circa lucum fecit diuerſoria conuiuij, Alpheũ honorãs cum duodecim dijs, & nominauit uicum Saturni. antea

enim

enim ſine nomine erat, donec Oenomaus regnauit, & multa niue irrigabatur.

Sed tunc in primo conuiuio aſtiterunt Parcæ & Diuturnitas, quæ ſola ueritatem profert. Hæc & oſtendit, ubi Hercules obtulerit ſpolia, & ubi quinquennem inſtituerit feſtiuitatem.

Quis uerò in Olympijs uiridem coronam primus accepit, manibus, pedibus, curru gloriam facto adeptus? Stadio uicit primus Oeonus Licymnij filius, dux Mideæ Argolicæ. Lucta Echemus Arcas, Doryclus pugillando uicit. Quadriga uerò ſignum Halirrothij. Haſta Phraſtor: Diſco Eniceus, & ueſpere accendit pulchrum Lunæ lumen. celebrabatur autem totum nemus conuiuijs & cantu.

Nunc uerò ſequentes primos ritu uictoriæ, laudes canemus, & dicemus tonitru & fulmen Iouis, cui occurrit dulcis cantilena, quæ apud Dircen poſt longum tempus apparuit. Vt autem filius ex coniuge patri carus, in ſenecta magis eum delectat: contrà uerò, triſte eſt diuiti habere alienum hæredem: Sic cum is qui præclara facta fecit, ſine carmine moritur, inania ſpirās breui tempore poſt laborem lætatus eſt. Tibi uerò Lyra gratiam addit, et Pierides celebrant te: & ego adhærens Muſis, incidi in Locrorū gentem, & melle rigo fortem ciuitatem, laudans Ar

cheſtrati filium, quem uidi uictorem apud aram Olympiam, illo tempore florentem forma et ætate, quæ impudētem mortem à Ganymede depulit cum Venere.

ODE XI.

Eidem Ageſidamo παιδὶ πύκτῃ.

INterdum proſunt uenti, interdum pluuiæ. Sic cum aliquis fecit aliquid fœliciter, dulces hymni fiunt ei initia poſteriorum ſermonum: & fœdus eſt uirtutibus cum laudatione. Grata eſt laus uictoribus, quam lingua mea paſcit. Dei autem beneficium eſt, florere ſapientia.

Scias igitur Ageſidame, propter pugillatoriam tuam me hoc carmen ſonare ad auream coronam: quia curo Locros. Ibi & uos Muſæ ſimul choros ducetis. Spondeo enim, hunc hymnum non ad inhoſpitales homines, & ignaros honeſtorum officiorum, ſed ad ſapientes bellatores uenturum eſſe. Naturam enim nec fulua uulpes, nec terribiles leones mutant.

ODE XII.

Ergoteli Himeræo δολιχοδρόμῳ.

SVpplico tibi Fortuna pro Himera potēti. Tu enim Fortuna naues in mari, & turbida bella in terra, & conciones regis. Spes humanæ uolutant multa ſurſum & deorſum, ſecantes

cantes leuia mendacia. Nulli hominũ deus certum ſignum de futuris euentibus tradidit: ac de futuris conſilia cæca ſunt, ac multa hominibus eueniũt triſtia præter opinionem. Alij cum inciderunt in procellas, breui tempore permutarunt malum bono.

Fili Philanoris, tui pedes emarcuiſſent ſine gloria in patria, ſicut gallus gallinaceus domi pugnãs: niſi te ſeditio priuaſſet tua patria Crenſi. Nunc uerò coronatus in Olympijs, & alibi, geſtas calida lauacra Nympharum in proprijs agris.

ODE XIII.

Xenophonti Corinthio ςαδίῳ, δρόμῳ, καὶ πεντάθλῳ.

LAudans domum uictricem, benignam ciuibus et hoſpitibus, Corinthum celebro, ueſtibulum Neptuni, ornatũ uiris. In ea lex habitat, & ſorores eius: Iuſticia, fundamentum urbium, & concors Pax, filiæ Themidis, quæ ſunt cuſtodes opum: quæ iniuriã uolunt arcere, matrem faſtus.

Habeo honeſta quæ dicam, & recta. Audacia incitat me, ut ea dicam. Impoßibile eſt occultare ingenitam naturam. Vobis Corinthij ſæpe uictoriam dederunt Horæ, cum uictores fue

runt cum ſumma uirtute in ſacris certaminibus. Et magnam antiquam ſapientiam. Gloria autem operis eſt penes inuentorem. Vnde apparuerunt Bacchi Charites, cum Dithyrambo uictore. Et quis inuenit frenos equorũ? Quis geminam aquilam templis primus impoſuit? Apud uos & Muſa floret, & Mars pernicioſis prælijs iuuenũ. Summe Iupiter, ſis fautor omni tempore meis carminibus: et regens hunc populum ſine calamitate, guberna fortunam Xenophontis. & recipe hanc laudationem coronarum, quam ducit ex campis Piſæ, poſtquam uicit in ſtadio & pentathlo, quæ duo nulli mortalium antea eodem die cõtigerunt. Duæ & aliæ apij coronæ cum in Iſthmijs coronauerũt. Nec Nemea ei reſtiterunt. Vicit curſu & pater Theſſalus, ad Alpheum. Et in Pythijs, uno die & eodem menſe, ſtadio, & duplici ſtadio. Et in aſperis Athenis tres uictorias adeptus eſt. Septies uicit in Palladijs. Comitantur eum & maiora præconia, cum auo, in Neptuni certaminibus. Sæpe & in Delphis, & in Nemeis uiciſtis. Multitudo facit mihi certamen, propterea quòd multas ueſtras uictorias non poſſum recitare: ut non poßim numerare lapillos maris. Qualibet autem in re modus eſt, quem noſſe optimum eſt.

Ego

Ego autem propriè electus, ut publicè dicam maiorum uirtutes & bella, non dicam falſa de Corintho. Siſyphus excelluit ſapientia, & Medea contra patris uoluntatem nupſit, & ſeruauit nauim Argo & ſocios. Præterea ad Troiam in utraq; parte Corinthiorum poſteri fuerunt, alij cum genere Atrei repetentes Helenam, alij arcentes. Nam Glaucum, qui uenerat ex Lycia, timebant Græci. Gloriabatur autem Glaucus, patrem ſuum Bellerophontem fuiſſe regem Corinthium: qui Pegaſum ex Gorgone natum uolens frenare, multa paſſus eſt, donec ei Pallas aureum frenum attulit. ibi ex ſomnio ſtatim res ipſa præſtò fuit. Compellauit autem eum Pallas: Dormis Bellerophontes? accipe hoc equeſtre ornamentum, & monſtres Neptuno domitori equorũ, mactans taurum. Hæc dicere ei dormiẽti noctu Pallas uiſa eſt. Exiliens igitur recto pede, & accipiens propè poſitum ſignum, uatem adijt indigenam Polyidum, & totum euentum ei narrauit: quòd ad aram Deæ dormiuerit ipſo iubente, & quòd Pallas ei dederit aureum frenum. Hic iuſſit, ut celerrimè ſomnio obtemperet: et cum mactauerit taurum Neptuno ponat aram equeſtri Palladi. Efficit autem potentia diuina rem facilem, de qua nemo iurare poſſet, & quam nemo ſperaret.

Accepit igitur Bellerophontes frenum, & iunxit maxillis equi. Conſcenſo equo, ſtatim in armis luſit, cum hoc ſternens exercitum muliebrem Amazonum ex ſinu æthereo frigidæ ſolitudinis. Interfecit & Chimæram efflantem ignem, & Solymos. De morte uerò eius non dicã. Pegaſum Iupiter in cœlum tranſtulit.

Me uerò iaculantem turbinem telorum, decet nõ multa mittere extra ſcopum. Veni enim, ut celebrẽ Corinthios ab Oligœto ortos. Oſtendam igitur breui carmine, uictorias in Iſthmo & Nemea partas familiæ Oligæti: & addo iuramentum. Sexagies enim in utroq; loco celebrauit Deos uox præconis. Olympicæ autem uictoriæ prius dictæ ſunt, futuras poſtea recitabo. Nunc ſpero, Deo quidem iuuante, ſi genuina fortuna procedet, Ioui Marti hoc tribuemus. Victorias uerò in iugo Parnaßi, Argis & Thebis, & in Arcadia teſtabitur ara. Et per Achaiam, Aeginam, Atticam, & Siciliam, deniq; per totam Græciam uadens, inuenies maiora facta Corinthiorum, quàm ut ſingula cõſiderare poßis. Sed Iupiter fac ut uincam leui pede: & da mihi honorem, & dulcem fortunam.

ODE

ODE XIIII.

Aſopicho Orchomenio, filio Cleodami, σταδιεῖ.

CHarites apud Cephiſias aquas, & Orchomenum, & ueterum Minyarum epiſcopi, audite me precantẽ. Per uos enim cuncta fiunt ſuauia, ſiue quis ſit ſapiens, ſiue pulcher, ſiue ſplendidus. Neq; Dij ſine Charitibus regũt choros, aut cõuiuia: ſed omnium operũ in cœlo diſpenſatrices ſunt, collocantes ſedem apud Apollinem ſemper colunt patrem. O` ueneranda Aglaia, & dulciloqua Euphroſyne, et amabilis Thalia, filiæ Iouis, exaudite nos, uidentes hunc Chorum fœliciter procedentem. Acceſsi enim, ut Lydio cantu laudem Aſopichũ, eo quòd Minyea urbs propter uos Gratias eſt uictrix in Olympijs. I nunc Fama ad atram Perſephones domum: & ubi uideris patrem Cleodamum, dicas ei, quòd filius ad Piſam coronatus ſit.

PINDARI PYTHIA.

ODE I.

Hieroni Ætnæo Syracuſio ἅρματι.

O Aurea cithara, Apollinis & Muſarum conſona poſſeſſio, quam audit rhythmus in chorea, qui eſt principiũ lætitiæ. Cantores autem obtemperant tuis ſignis, quando percuſſa facis initia proœmiorum, et extinguis fulmina, & obdormit Aquila rex auium demiſſis alis, cum curuo capite nebulum et dulce clauſtrum palpebrarũ offundit, & dormitans attollit tergum, tuo ictu delinita. Et Mars relinquens prælia, demulcet cor tua oblectatione: & mentes deorum demulcent carmina, cum ſapientia Apollinis et Muſarum. Quæ autẽ non amat Iupiter in terra et in mari, Muſarum cantũ audire recuſant: ut Typhoeus deorum hoſtis, qui in Tartaro iacet, quẽ Ciliciæ ſpecus nutriuit. Nunc autẽ uilloſum eius pectus premitur à littoribus Cumæ & Sicilia, & cohibet eum niuoſa Aetna cœleſtis columna, toto anno gelidã niuem fouens; cuius ex fundo eru-

ſtant puriſſimæ ſcaturigines inacceſſi ignis, cuius flumina interdiu fundunt fuſcum turbinem fumi. At noctu rutila flamma uolutata, fertur lata in profundam planiciem maris, cum ſtrepitu. Illa bellua uerò eijcit grandes nubiũ torrentes, qui ſunt miraculo accedentibus, qui uident & audiunt, quomodo in Aetna alligatus ſit Typhon, & lectus fodiat eius totum dorſum.

Vtinam Iupiter tibi placeat Hierõ, qui hunc montem fertilis terræ frontẽ incolis, cuius montis uicinam urbem eodem nomine Aetnam fundator Hieron ornauit. Nam in Pythijs præco Hieronis uictoriam renunciauit. Habere ſecundos uentos gratum eſt nauigantibus. Gratũ eſt enim habere fœlicem reditum. & hic meus hymnus his ſucceſſibus addit gloriam ad poſteros et in conuiuijs celebrandam.

Ô Phœbe, uelis illi regioni præſtantes uiros dare. Nam ex Deo eſt omnis effectio humanarum uirtutum: & ſapientes, & fortes & eloquentes. Ego autem laudaturus Hieronem, ſpero me ſagittam non habentem æneas genas iaculaturum eſſe, & iacientem procul ſuperaturum eſſe aduerſarios.

Vtinam omni tempore fœlix ſit Hieron, & ſine triſtitia: & cogitet quales pugnas ſuſtinuerit forti animo, quando auxilio Dei inuenerunt

honorem,

honorem, qualem nemo alius Græcorum decer pſit: & magnas diuitias. Nunc, Philoctetæ more bello interfuit: & hoſtis coactus, quanquam magnanimus, tamen ei blanditus eſt. Fama eſt, heroas ueniſſe in Lemnum ad Philoctetem ulcere ægrotantem, Pœantis filium, ut eum abducerent: qui Troiam cæpit, & finiuit labores Danais, quanquam ægro corpore procedens. quia fatale erat, Herculis telis Troiã capi. Sic Deus adeſt Hieroni confirmator, qui & deinceps det ei optata.

O' Muſa, uelis & apud Dinomenen, filium Hieronis, ſonare præmium quadrigarum, lætitiam non alienam à patris uictoria. Poſtea ipſi Dinomeni canemus hymnum, cui urbem illam Hieron condidit cum libertate, iuxta leges normæ Spartanæ. Pamphyli autem et Heraclidarum poſteri, habitantes ad Taygetum, ſemper uolunt manere in legibus Aegimij Dorienſis, et tenuerunt Amyclas, cum ueniſſent à Pindo celebres uicini Tyndaridarum, qui belli gloria floruerunt.

O' Iupiter, ſemper facito ut talem fortunam regum & ciuium ad fluuium Amenam celebret uerus ſermo hominum, et tecum Rex filio præcipiat, & regat populum, & curet concordem tranquillitatem. Obſecro Iupiter annuito placi

dé,

dè, ut domi Phœnices & Tyrrhenorum multitudo ſentiat naualem ſeditionem, uidens pugnã ad Cumas, ubi domiti ſunt ab Hierone, qui uelocibus nauibus in mare præcipitauit omnes corũ milites, Græciam graui ſeruitute liberans. Amplector Athenienſium gratiam, quibus merces debetur pro uictoria ad Salaminen: & in Sparta dicam pugnam ad Cithæronem, ubi Medi iaculatores defecerunt. Dinomenis autem filijs hymnũ perficiam, propter pugnam in ripa Himeræ, quem pro deuictis hoſtibus receperunt.

Si opportunè dicas, res geſtas multorum breuiter cõplicans, minus ſequitur liuor. Nam longa ſaturitas obtundit celeres ciuium cogitationes: & ciues non libenter audiunt alienas laudes. Sed tamen melior eſt miſeratione inuidia. Tu uerò ne remittas honeſta, iuſto clauo gubernes exercitum, & linguam acue in incude non fallẽte. Nam ſi quid turpe à te efflabitur, paßim circumfertur. Multorum es princeps: multi teſtes ſunt de honeſtis & inhoneſtis. ac ſi manſeris in moribus honeſtis, & iucunda fama delectaris, ſis liberalis. Vtq; gubernator nauis expandit uela, ne doloſe pandas uela blandis lucris: quia fama poſt mortẽ, oſtendit mores mortuorum, per oratores & poetas. Non extinguitur Crœſi benefica uirtus: ſed ſæuum animum

Phalaridis,

Phalaridis, qui in æneo tauro uſsit homines, u-biq; comitatur infamia: nec citharæ domeſticæ recipiunt eum ad gratam conuerſationem ſodalium. Eſſe fortunatum, primum præmium eſt: bona fama, ſecundum: cui autem utrunq; contingit, is coronam ſummam accepit.

ODE II.

Eidem Hieroni ἅρματι.

O Vrbs Syracuſana, templũ Martis, nutrix bellatorum, tibi hoc carmen Thebis adfero: in quo ſum nuncius quadrigæ, quæ uictor ornauit Ortygiam ſedem Dianæ, cuius auxilio domuit equos. Nam uirgo utraque manu et Mercurius radiantem ornatum imponũt, quando iungit equos & currum, & ſimul inuocat Neptunum. Alij poetæ alijs regibus ſcripſerunt carmina, proter eorum uirtutem. Circa Cinyram Cypriorũ ſonant præconia, quem ualde dilexit Apollo, ſacerdotem Veneris familiarem. Ducit autem gratia mutua, ſequẽs pro benefactis: teq; Locrenſis ciuitas Hiero celebrat, uidens ſecuritatem, tua uirtute hoſtibus repreßis.

Narrant autem, deorum iuſſu Ixionem mortalibus in rota uolutatu n hæc concionari: Benefactori grata uice compenſationem facien-

dam

dam eſſe, ab ijs qui beneficia acceperūt. Hoc dicit, cum apud deos uiuens, non ſuſtinuit diuturnam fœlicitatem: quādo furente animo amauit Iunonem Iouis coniugem. Sed cum petulantia impulit ad ſuperbum ſcelus. Citò autem digna paſſus, inſignem pœnam habuit. Duo enim triſtia eius delicta fuerunt: alterum, quòd hic heros primus cognatum ſanguinem dolo miſcuit: alterū, quòd in arcano thalamo Iouis coniugem tentauit.

Decet autem ſemper cōſiderare cuiuſq; rei metas. Thori autem inhoneſti impulerunt in calamitatem et hunc accedentē, poſtquam cum nube concubuit ignarus, ſequutus dulcem illuſionem. Forma enim ſimilis erat Iunoni, quam nubem doloſe Iouis manus ei fecerāt pulchram perniciem. Deinde fecit rotam quatuor radiorum exitioſam. Ixion igitur lapſus in uincula, dixit iſtam notam admonitionem de referēda gratia. Peperit igitur ſola nubes temerariam ſobolem ſine Gratijs, neq; inter homines neq; inter deos honoratam, quam nutrix nominauit Centaurum, qui iunctus eſt equabus Theſſalicis in Pelij ualle. inde natus exercitus mirandus, utriq; parenti ſimilis, inferius matri, ſuperius patri.

Deus omnia pro ſua uoluntate perficit. Deus

& celerem aquilam aſſequitur, et præcurrit delphino, & deijcit ſuperbos homines: alijs autem dat gloriam. Me uerò fugere decet maledicentiæ lugubrem morſum. Vidi enim procul in miſerijs conuiciatorem Archilochum, pingue factum maledicis odijs. Diteſcere autem cum fœlici ſapientia, optimum eſt.

Tu uerò nunc habes diuitias libera mente partas, Rex: qui es dominus multorum uicorum et exercituum. Si quis autem dicit, alium opibus et honore in Græcia fuiſſe præſtantiorem, laxa & uana mente luctatur.

Iam uerò aſcendam in ſplendidam uiam, laudaturus Hieronem. Iuuentuti congruit audacia in bellis. Vnde dico te magnam gloriam inueniſſe, prœliantem inter equites & pedites. Nunc conſilia ſenilia præbent mihi ſermonem, ad te laudandum ſine periculo. Salue: hoc carmen trans mare mittitur, ſicut merces Phœnicum. Sed ſi uis Caſtoreum hymnũ fidibus Aeolicis, conſidera gratiam citharæ ſeptem chordarum. Maneas talis, qualem te eſſe ſcis. Relinque illud pueris, pulchra eſt ſimia. Rhadamanthus fuit beatus, quia mens fuit inculpata: nec delectata eſt deceptionibus, quales fiunt dolis calumniatorum. Calumniæ ſunt utriſq; malum inſuperabile. Ipſi ſunt uulpibus ſimiles. Quid autem lucrantur?

erantur? Vt enim tigillum ſuper mare non mergitur, cum rete uehitur in profundo: ſic ego non mergor.

Impoßibile eſt doloſo ciui, edere firmum ſermonem : attamen aſſentans omnibus, profundè implicat ſermones : cuius temeritatis nolo eſſe particeps. Amicum amo. Sed aduerſus hoſtem, ſicut hoſtis lupi inſtar curram, aliàs aliter ambulans obliquis uijs. Rectiloquus uerò in omnibus legem antefert apud tyrannos, & quando inquietus exercitus, et quando ſapientes urbem tenent. Sed contra Deum non contendendum eſt, qui aliquando hos exaltat, aliquando alijs dat gloriam. Neq; hoc tamen ſanat inuidos. Qui autem trahitur propter alterius excellentẽ menſuram, is inflixit ſuo cordi uulnus, priuſquã potitur is qui machinatur. Cuique autem iugum collo ſuo impoſitum ferre prodeſt. Nam aduerſus ſtimulum calcitrare, eſt lubrica uia. Vtinam autem poßim familiaris eſſe bonis, & canendo uitam tranſigere. Vel, utinam poßim & familiaris eſſe, & placere bonis.

ODE III.

Eidem Hieroni κέλητι.

OPtarim Chironem, ſi proficeret cõmune uotum linguæ noſtræ, reuiuiſcere

mortuum, filium Saturni: & regnare in ualle Pelij centaurum, ſed hominibus amicum, qualis erat cum filium educauit medicum Aeſculapiū, quē Phlegyæ filia Coronis priuſquā ederet Lucinæ auxilio, à Dianæ telis interfecta eſt in thalamo. Ira enim Deorum non eſt inanis. Hæc autem contemnens Apollinem, errore mentis alijs nuptijs aſſenſit, cum clam patre concepiſſet antea ex Phœbo. Et cum geſtaret purum Dei ſemen, non expectauit menſam nuptialem, neq; hymenæos, ſicut coætaneæ uirgines ueſpertinis cantionibus ludūt: ſed amauit peregrinos, ſicut multi faciunt. Eſt autem genus hominum uaniſſimum, quod contemnens domeſtica, circumſpicit longinqua, uentoſa appetens inani ſpe.

Habuit hanc magnam culpam uoluntas Coronidis. Acceſſit enim ad lectum hoſpitis Arcadici. Nec ſpeculatorem latuit hæc res: ſed in Pythone, ubi fiunt ſacrificia, ſenſit hoc, auſcultans rectiſſimo familiari ſuo, mente omnia ſciente, quæ non fallitur mendacijs: nec Deus nec homo decipit eum factis, aut conſilijs.

Et tunc cognoſcens Phœbus Iſchyos Arcadici ſtuprum & dolum, miſit ſororem Dianam, properantem animo non turbido ad Lacereæam urbem Theſſaliæ: quia in ripa lacus Bebij habitabat Coronis. Ibi malus genius, qui eam ad ſcelus im-

lus impulerat, perdidit eam: & multi uicini ſi- mul pœnas dederunt, & ſimul perierunt: ut in monte ignis ex uno ſemine exiliens, magnā ſyl- uam uaſtat.

Sed poſtquam cognati in rogo ligneo collo- carunt Coroniden, & uehemens flamma fuit cir cundata, tunc dixit Phœbus: Non feret animus meus, perdere meum gnatum, cum matris interi tu. Sic fatus, cito gradu filium ex morte eripuit. Accenſa autem pyra, diuidebatur flamma. Tra- didit autem eum Magneſio centauro, ut doceret eum curare uarios morbos.

Alios igitur qui uenerunt, habentes ulcera ſponte nata, aut ferro uulnerata, aut lapide, aut quibus æſtiuus ignis populabatur corpus, aut frigus, hos liberauit. Alijs uero molles incanta- tiones adhibuit, aut potiones, aut membris cir- cundans pharmaca, aut ſecando curauit.

Sed lucro etiam ſapientia capitur. Peruer- tit & hunc aurum in manibus apparens, ut Hip polytum ex morte reduceret, iam captum. In- terfecit igitur utrumq; Iupiter fulmine. Opor- tet autem moderata à dijs petere, cogitantem quale ante pedes ſit factum.

Mea anima, ne uitam hanc immortalem eſſe exiſtimes: & quære negocia poßibilia. Si Chi- ron adhuc uiueret, & grata eſſent ei noſtra car

mina, perſuaderem ei, ut & nunc præberet ſe medicũ bonis uehementiũ morborum, aut præberet aliquem Apollinis et Iouis gnatum. Ac in Ionio mari uenirem ad fontem Arethuſam, ad Aetnæum hoſpitem, regem Syracuſanum, qui eſt mitis ciuibus, et non inuidet bonis, et eſt mirandus pater hoſpitum.

Ad quem ſi ueniſſem, geminam adferens gratiam, auream ſanitatem, & hymnũ de uictoria equeſtri ad Syrrham: uenirẽ ei ceu lumen ſplendidius ſtella, traiecto mari.

Sed precari pro te uolo matrẽ Rheam, quã in meo ueſtibulo colunt puellæ totis noctibus. Sin autem ſermones rectos ſcis intelligere, cogites uetera exempla. Iuxta unum bonum duo incommoda Di tribuũt hominibus. Sed hæc inſipientes nõ norunt ferre decenter: at boni pulchra foras uertunt.

Te quidem comitatur fœlix fatum. Es enim Rex præcipuus. Sed uita ſine incommodis neq; apud Aeacidem Pelea fuit, neq; apud Cadmum, qui dicuntur fuiſſe beatiſſimi, & Muſas audiuerunt canentes in monte Pelio, & in Thebis: cum alteri data eſt coniunx Harmonia, alteri Thetis.

Et Dij conuiuati ſunt apud utrunq;, & uiderunt deos in aureis ſedibus, & ab eis dona

nuptialia

nuptialia acceperunt. A' Ioue autem mutata fortuna, ſtatuerunt animum rectum. Poſtea tres filiæ Cadmum priuarunt parte lætitiæ, triſtiſsimis caſibus. Iupiter enim in thorũ Semeles uenit. Filius autem Pelei, quem unicum peperit in Phthia Thetis, interfectus arcu, luctũ excitauit inter Danaos.

Si quis autem in mente habet ueritatis uiam, hũc frui decet bonis à Deo datis. Aliàs alij ſunt uentorum flatus. Proſperitas uerò humana nõ diu perſeuerat: quæ cum uenit, grandis ero, & paruus inter paruos, et magnus inter magnos. Semper ad præſentem fortunam accommodabo animum, ne quid ſupra uires moliar. Si autem Deus mihi diuitias dabit, ſpero me gloriam habiturum eſſe ad poſteros.

Neſtorem & Sarpedonem hominum ſermo retinet ex carminibus. Illius uirtutis memoria diu durat, quæ carmine celebrata eſt. hoc autẽ pauci obtinent.

ODE IIII.

Arceſilao Cyrenæo ἅρμαῖι.

HOdie oportet te apud amicum regẽ Cyrenes ſtare, ô Muſa, ut cũ Arceſila celebrante conuiuium, augeas Phœbo debitum & gratum hymnum: ubi ſacerdos Pythia apud au

reas aquilas, non abſente Apolline reſpondit, Battum fore fundatorem urbis in Libya, & relicta inſula Thera conditurũ eſſe urbem in candida mamma, & Medeæ uaticinium perfecturũ eſſe ſeptimadecima generatiõe ex Thera, quod Medea filia Aeetæ regina Colchorũ edidit. Dixit autem ſic ad Iaſonis ſocios:

Audite Heroes, dico ex hac gleba filiam Epaphi plantaturam eſſe urbium radicem, in fundamentis Iouis Hãmonis: ac pro delphinis et branchijs Therei equos accipient, & habenas pro remis, & agitabunt currus.

Hæc gleba efficiet Theram fore metropolim magnarũ urbium, quam in lacu Tritonide Euphemus accepit, deſcendens è prora à Deo uiſo uiri ſpecie, dante glebam uice xenij. Id ſignum fauſtum eſſe Iupiter tonitru ſignificauit, quando occurrit Triton ſuſpendentibus anchoram, quæ erat frenum nauis Argo.

Prius duodecim dies ex Oceano geſtauimus nauim humeris, per loca deſerta trahentes meo conſilio. Tunc Triton acceſsit ſpecie honeſti uiri, & amicis ſermonibus nos allocutus eſt, ſicut hoſpitibus uenientibus homines benefici offerunt officia.

Sed nos manere ibi noluimus. Dicebat autem Triton, ſe Neptuni filium eſſe Eurypylum: qui

qui cum intelligeret nos feſtinare, glebam attollens dextra, xenium obuiũ quæſiuit dare. Nec uerò recuſauit heros Euphemus, ex prora in littus ſaliens, & manu manum firmans accepit.

Intelligo autem eam in mare merſam ex naui, & diſſolutam, eſſe ſecutam pelagus Heſperium. Ego uerò præceperam famulis, ut eam cuſtodirent. Sed hi obliti ſunt: & nunc hîc immortale ſemen Libyæ effuſum eſt in inſula, ante tempus.

Si enim domi ieciſſet glebam in mare iuxta Tænarum, ubi eſt Tartari oſtium, Euphemus filius Neptuni, quem Europa Titij filia peperit ad Cephiſum, quartæ ſobolis ſanguis, illam terram cum Danais accepiſſet. Tunc enim ex Lacedæmone Argis & Mycenis egreſſi eſſent. Nunc uerò inueniet ſelectos poſteros Lemniarum mulierum in lectis, qui diuinitùs uenientes in Theram, gignent Battum, qui erit dominus Cyrenes: quem Phœbus monebit in oraculis, cum ueniet in Pythium templum, ut poſtea multos in nauibus ducat ad Nili templum. Hic fuit ſermo Medeæ.

Stupefacti autem ſunt Heroes, audientes ſermonem Medeæ. O fœlix Batte, te oraculum ſacrificulæ Delphicæ fatidico ſermone excitauit: quæ te dicens ter lætari, pronunciauit te fa-

talem regē fore Libyæ, cum interrogares, quomodo poſſes impeditæ linguæ opitulari.

Et nunc ſub uerno tempore, poſt tot filios, floret octauus Arceſilas, cui Apollo Pythius tradidit uictoriám equeſtrem iudicio Amphictyonum: quem et ego tradam Muſis, ſimul cum carmine de uellere aureo. Cum enim ad id nauigaſſent Minyiæ, diuinitùs acceperūt glebam, unde orti ſunt Cyrenæi.

Quod fuit initiū illius nauigationis? Quod periculum adamantinis clauis alligauit eum?

Fatale erat, interfici Peliam Aeoliden, ſeu manu, ſeu conſilio immutabili. Huic horrendum oraculum datum erat in medio umbilico terræ: altero tantum pede calceatum cauendum eſſe, quando ab altis montibus ueniret ad occiduam terram inclytæ Iolci hoſpes.

Venit igitur tandem terribilis ille geminis haſtis, & duplici ueſtitu. tunica uſitata Magneſijs, membris eius conueniens erat: altera exterior, pellis erat pardalidos, quæ capiebat horridos imbres: nec tonſi erant capilli, ſed totū dorſum quaſſabant. Progreſſus autem ſtetit intrepidum animum experiens in foro, ubi magna multitudo erat. quem cum noſſent, et tamen reuererētur, inquit aliquis: Num eſt hic Apollo? Non eſt enim Mars Veneris maritus, qui curru

æneo uehitur: & in Naxo aiunt eſſe mortuos Otum et Ephialten, & Dianæ celeri ſagitta interfectus eſt Tityus ex inuicta pharetra, ut diſcat aliquis appetere uoluptates poßibiles. Sic illi inter ſeſe loquebantur.

Interuenit autē Pelias in curru, quem mulæ uehebant: et mox obſtupuit, uidens tantum dextro pede calceatum eſſe. Occultans autem pauorem, affatur hoſpitem: Quam dicis, hoſpes, tuā patriā eſſe, & quæ te mater peperit? Non polluens te mendacijs, dic genus.

Huic reſpondit Iaſon confidenti animo: Aio me doctrinā Chironis afferre. Redeo ex antro à Charicle & Philyra, ubi me caſtæ Centauri filiæ educarunt annos uiginti: nec factum ibi, nec turpe dictum locutus ſum.

Veni regnū mei patris recepturus, quod nō iuſtè poßidetur, quod Iupiter dedit duci Aeolo & filijs eius. audio enim Peliam iniuſtum, confidentem ſtulto animo, prædari uiolenter noſtrorum parētum regnum: qui me, cum primā uidi lucem, metuentes iniuriam uiolenti principis, poſuerunt in domo tanquā funus cum muliebri luctu. Clàm uerò miſerunt in purpureis faſcijs nocte facientes iter, & Chironi me dederunt alendum. Cognoſcite autem ſummā horum ſermonum, inclyti ciues. parentum meorum do-

d 5 mos

mos mihi planè indicate. Aeſonis enim filius indigena, non ad alienam terram ueni. Centaurus me diuinus Iaſonem nominauit.

Sic ait. Hunc procedentē patris oculi agnouerunt, ex cuius ſenilibus palpebris lacrimæ ſtillauerunt: quia in animo lætabatur, uidens pulcerrimam ſobolem.

Venerunt & ambo fratres Aeſonis, audita fama eius: Pheres relicto fonte Hypereo, & Amythaon ex Meſſana. Venit & Admetus Pheretis filius, & Melampus Amythaonis filius, gratulantes fratri patrueli: quos in cōuiuio ſuauibus ſermonibus excepit Iaſon, hoſpitalia officia præſtans, & in hilaritatem ducens, quinq; diebus decerpens florem læticiæ. Verùm ſexta die propoſuit ſerium ſermonem cognatis, qui eum ſequebãtur. qui cum ſurrexiſſent à ſedibus, ingreſsi domum Peliæ, ibi ſteterunt.

Hos audiens Pelias, proceſsit obuiam. Placidum autem ſermonem ſtillans, iecit fundamentũ ſapientum ſermonum. Sunt hominum mentes uelociores ad laudandum doloſum lucrum præ iuſticia, repentium tamen ad aſperum poſt feſtũ. Sed & me & te oportet moderantes iram, reliquum uitæ feliciter texere. Hæc tibi ſcienti dico. Vna bucula mater fuit Cretheo & Salmoneo. Nos uerò ab illis tertia generatione orti, So

lis

lis lumen uidemus. Abeſſet autē felicitas, ſi quod odium eſſet inter cognatos ſine pudore. Non decet nos gladijs uulnerantibus, neq; ſagittis patrimonia diuidere. Relinquo tibi pecudes, & boum armenta, et agros, quos abſtuliſti meis parentibus, & frueris eis, diuitias cumulans. Nec me cruciant hæc, tuam domum augentia. Sed ſceptrum & thronus, cui inſidens olim Aeſon Crethei filius, dabat iura equeſtri populo. hæc ſoluito nobis ſine communi dolore, ne quod malum inde excites.

Sic dixit Iaſon. Placidè autem reſpondit Pelias: Ero talis, ſed iam me ſenectus circundat, tibi uerò flos pubertatis turget. Potes autem auferre iram terreſtrium dæmonum. Iubet enim Phrixus animam ſuam reduci per uos, proficiſcentes ad Aeetæ thalamos: et pellem arietis aduehere, qui ex Ponto ſeruatus eſt à nouercæ impijs telis. Hæc mihi ſpecies ſomnij imperat. Interrogaui autem oraculum Delphicum, an illa res indagari poßit? At Apollo celerrimè te iubet nauim fabricare, ad profectionem. Hoc certamen uoluntarius ſuſcipio. Ac iuro, me cōceſſurum eſſe ut ſolus regnum teneas. Iupiter autor generis noſtri, teſtis ſit, hoc iuramentum ratum fore.

Hanc pactionem mutuo conceſſu approban

tes diſceſſerunt. Mox Iaſon miſit præcones, ut ubiq; denunciarent inſtitutã nauigationem. Citò igitur tres filij Iouis uenerunt, Hercules, Caſtor, & Pollux: & filij Neptuni, quos pudebat non uenire propter robur, Periclymenus ex Pylo, Euphemus ex Tænaro: Orpheus, Apollinis filius.

Miſit et Mercurius, tenens aureum caduceũ, geminos filios ad magnũ laborem: qui deliciantes pubertate, & habitantes circa Pancæum, citò uenerunt. Pater Boreas citò armauit Zeten & Calain, horrentes purpureis alis in tergo.

Iuno uerò in omnibus heroibus accendit deſideriũ nauis, ne quis apud matrem relictus maneret, coquens ætatem ſine periculo: ſed uellet inuenire uirtutis pharmacũ poſt mortẽ cũ ſocijs.

Poſtquam igitur in Iolcum peruenit nautarum flos, Iaſon omnes laudans recenſuit. Vates uerò Mopſus exercitum collocauit in nauim, augurijs et ſortibus. Ancoris autem ſuſpenſis ad roſtrum, dux accepta phiala in puppi inuocabat Iouem & uentos, & noctes, & ponti uias, & lætos dies, et fœlicem reditum. Ex nubibus uerò ſonuit fauſtum tonitru, uenerunt & radij fulguris. Heroes uerò moti ſignis diuinis, reſpirationem ſiſtere cœperant. Vates artem præconiũ fecit, ut remos agitarent, dulces ſpes indicans.

Remigatio

Remigatio igitur procedebat indeſeſſa. Cumq; Auſtri flatu peruenerũt ad oſtium ponti Euxini: ibi Neptuno fundarunt templum. Aderat autem purpureus grex Thraciorum boum, & erat ibi diuinitùs aræ latitudo. Acceſſuri enim periculum, precabantur dominum nauium, ut effugerent motũ inſuperabilẽ. Erant autẽ duæ uiuæ petræ, quæ celerius mouebantur quàm uenti.

Sed iam nauigatio Argonautarum fecit illos ſcopulos conſiſtere immobiles. Deinde ad Phaſin acceſſerũt, ubi terribiles Colchos ui aggreßi ſunt apud Aeetam. Venus autem attulit motacillam de cœlo, incluſam rotæ habenti quatuor radios, faſcinatricem: & docuit Iaſonem incantationes, ut Medeæ eximeret reuerentiam parentum, & expetita Græcia eam incenſam perſuaſione uerteret. Ac Medea celeriter fines paternorum certaminum oſtẽdit, & oleo miſcens remedia dolorum dedit, ut ungeretur Iaſon: & pacti ſunt inter ſeſe nuptias.

Cum igitur Aeetes adamantinum aratrũ in medium collocauit, & tauros, qui flammas à flauis naribus ſpirabant, & æneis ungulis terram arabant, ſolus eis iugum impoſuit: & rectos ſulcos faciens, eos egit, & ſecuit dorſum terræ ſulcatæ per iugerum. & dixit Aeetes: Hoc ſi fecerit Iaſon, auferat pellem habentẽ aureas fimbrias.

Hæc

Hæc cum dixiſſet rex Colchicus, abiecit croceam ueſtem Iaſon: & Deo confidens, aggreſſus eſt opus. nec ignis eum turbabat, quia norat præcepta Medeæ. Trahẽs autem aratrum, ligauit colla boum coacta loris: et infigens ualidum ſtimulum magnis lateribus, arauit mandatum ſpacium. Gemuit rex Colchicus tacito dolore, uirtutem uiri admirans. Socij autem uiro forti manus porrigebant, & coronis herbaceis coronabãt eum, & blandis ſermonib. eum recreabãt.

Dixit autem rex Colchicus, ubi ſplendidum uellus ſuſpenderat Phrixus. exiſtimabat enim, eum non poſſe auferre: quia iacebat in ſaltu, ubi uehementiſſ. genis draconis cuſtodiebatur, qui longitudine & latitudine nauim quinquaginta remorũ occuparet, quæ ferro fabricata eſſet.

Longum mihi eſt redire per uiam curruum, ac tempus urget. Noui equidem & breuem uiã, & alijs ſum doctor huius ſapientiæ. Interfecit Iaſon arte draconem, ô Arceſilae: & clam abduxit Medeam, quæ Peliam poſtea interfecit. Et in Oceano & in rubro mari fuerunt, & in gente Lemniarum mulierum, quæ uiros interfecerũt: ubi & ueſtibus donati ſunt poſt certamina, & concubuerunt cum Lemnijs mulieribus. Tunc uerò in alienis terris incoatũ eſt felix genus ueſtrum. Nam Euphemus ibi ex Malacha genuit

filium,

filium, à quo deinceps orti ſunt alij, et mixti Lacedæmonijs: poſtea migrarunt in inſulam Theram, cui fuit nomen Calliſta. Inde uobis dedit Apollo campum Libyæ, & Deo iuuante augere & regere Cyrenen, poſtquam inueniſtis euentum uaticinij.

Audi nunc Oedipi ſapientiam. Si quis acuta ſecuri magnæ quercus ramos amputet, & pulcram ſpeciem eius deformet, quanquam fructus amiſit, tamen uſui eſſe poteſt uel in hyberno igne, uel cum ſit limen fultum columnis relicto ſolo ſuo. Es autem medicus opportuniſſ. et Apollo te honorat. Oportet molli manu admota, uulnera ulceris ſanare. Facile eſt enim ciuitatem cõcutere, etiam imbecillibus: ſed rurſus collocare in ſuam ſedem, difficile eſt ſubitò, niſi Deus ſit gubernator principum. Iſta autem tibi Charites texunt. Suſtinens igitur omnem curam circa Cyrenen, hoc Homericum etiam cogitans mihi concedito, qui ait: Bonus nuncius honorem magnum affert negotio. Creſcit Muſa per bonum uatem.

Nouit Cyrene & Batti domus iuſtam mentem Demophili, qui eſt inter iuniores iuuenis, in conſilijs uerò ſenex, ut par ſit ei qui centum annos uixit. Separat maledicentiam à candida uoce ſua: didicit odiſſe iniuſtos, nec litigat

cum

cum bonis: non eſt contator, quia opportunitas apud homines nõ habet longa ſpacia. Hanc rectè nouit, & ſequitur ut miniſter, non ut fugator. Aiunt autem triſte hoc eſſe: ſcientem bona, eis frui non poſſe. Vt Atlas cum cœlo luctatur, procul à patria terra, & à ſuis rebus. Soluit autem & Titanas Iupiter. Tempus affert mutationes uelorum, ceſſante ſecundo uento. Poſt pernicioſum morbũ tandem optat reditũ Demophilus, & ad Solis fontẽ curare cõuiuia, & ſe exhilarare, & citharã inter ciues in pace tangere: & nec lædere alios, nec lædi à ciuibus: & narrare Arceſilao, qualẽ fontẽ carminũ repererit, cum in urbe Thebana hoſpes fuit.

ODE V.

Eidem Arceſilao ἅρματι.

D*Iuitiæ ſunt bonæ, cum homo eas cum pura uirtute poßidet: Fortuna dante, ut multis amicis proſit.*

O' felix Arceſilae, procedis primo gradu ætatis cum gloria, propter Caſtorem, qui poſt hybernũ imbrẽ affert ſerenitatẽ in tuã aulam.

Sapientes ornant fortunam, à Deo datam. Te iuſtè agentem magna felicitas circundat, ut ſis rex multarum urbium. Tuus oculus uidet uenerandum honorem, mixtum menti tuæ. Nunc

quoq;

quoq; beatus es, quòd nactus claram uictoriam in Pythijs, habes hunc hymnum ſociorum in Apollinis ludo. Ideo nõ lateat te Cyrene, quòd celebratur ad hortũ Veneris. Omnium autem bonorum cauſam præcipuam eſſe Deum ponimus. Deinde et præ cæteris amicis Carrhotum diligito, qui non Epimethei filiam, ſcilicet Pœnitentiam, adducens redit ad Cyrenæos, iuſticiam colentes.

Hic Carrhotus hoſpes fortis, curuli uictoria ad Caſtalium fontem te coronauit incorruptis loris, iuxta delubrum duodecim curſuum. Nulla enim inſtrumẽta fregit, ſed ſuſpenſus eſt currus, ſuſtinens artificum excellentia opera: & translatus eſt ex Criſæo tumulo, et prato Apollinis. Nunc ipſum tenet cupreſſina ſedes in templo prope ſtatuã quam Cretenſes in Parnaſſo ſtatuerunt ex una arbore factam.

Tu igitur Arceſilae, benefactori tuo ſponte reddito gratiam. Diligunt te Gratiæ ô Carrhote, qui beatus es, quòd poſt laborem monumẽtũ habes, quo celebraris. Cadentibus enim quadraginta aurigis, tu integrũ currũ tenuiſti intrepida mente, et cum gloria in Libyã reuerſus es.

Nemo autẽ eſt, nec erit, ſine aliquo dolore. Batti ſequitur te fœlicitas, ſed tamẽ bona et mala tribuens. Fuit Battus turris urbis, & oculus ho

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſpitum. Ac leones eum fugerunt, poſtquam attiu lit uocem tranſmarinam. Nam Apollo perterrefecit beſtias, ne uaticinia Batto data de condenda Cyrene, inutilia eſſent.

Qui et grauium morborum remedia uiris et mulieribus tribuit: & dedit citharam, & dat Muſicam, quibus uoluerit. Affert & iuſticiam quietam, & curat fatidicum angulum. Vnde & Heraclidas, et Aegimij filios collocauit in Lacedæmone, Argis, & Pylo. Meum autem eſt, ſonare à Sparta amabilem gloriam, unde nati uenerunt Theram, Aegidæ mei patres, non ſine diuino auxilio: ſed fatum quoddam duxerat Heraclidas ad ſacrificium Thebanorum. Inde & Carnea in Cyrene celebrantur, quam tenent bellicoſi hoſpites Troiani Antenoridæ. Cum Helena enim eò uenerunt, euerſa Troia.

Honorificè uerò equeſtres Cyrenæi, quos Battus duxerat, adiungunt ſacrificijs Antenoridas cum muneribus.

Condidit & Battus templa maiora Deorũ, & rectã plateã Apollinis, pompis ſalutaribus, ut uia cõſtrata lapidibus equites geſtet. Vbi in poſtrema parte fori, ſeorſim Batti ſepulcrũ eſt.

Beatus fuit apud ciues uiuens Battus: poſtea eſt Heros, qui colitur à populo. ſeorſim uerò cæteri reges ante urbem habent ſepulcra. Magnas

gnas autem uirtutes conſperſas molli rore, & carminum fluxu, audiũt tui maiores ſub terra: & ſentiunt filij felicitatem ſibi communẽ, & iuſtum decus eſſe, ô Arceſilae, quem in cantu iuuenũ decet celebrare Apollinẽ, cum habeas ex Pythijs perſolutionẽ ſumptuũ carmen uictoriale.

Virum illum, quem nominaui, prudẽtes laudant. Mentem habet ætate præſtantiorem: lingua et fortitudine excellit, ut aquila inter aues. Eius robur eſt munimentum certaminis: inter Muſas uolatilis inde uſque à pueritia, & ſimul eſt ſapiens aurigator: & quicquid faciunt honeſtè ciues, ipſe inter præcipuos aggreditur, ac Deus ei beneuolus nunc perficit fortitudinem. Quod utinam & deinceps fiat in factis & conſilijs, ne lædat ſenectam eius hybernus flatus. Quia Iouis mens magna gubernat fortunam uirorum, quos diligit. Opto generi Batti & Olympicos honores dari.

ODE VI.

Xenocrati Agrigentino, ἅρμασι.

AVdite. Iam enim aut Veneris, aut Gratiarum campum peragramus: uidelicet umbilicum Pythiæ terræ, ad templum accedentes. Ibi hymnus de uictoria paratus eſt Emmenidis, & Agrigento & Xenocrati in Delphico prato: quem nec hybernus imber, nec nubiũ ex-

ſpitum. Ac leones eum fugerunt, poſtquam attū lit uocem tranſmarinam. Nam Apollo perterrefecit beſtias, ne uaticinia Batto data de condenda Cyrene, inutilia eſſent.

Qui et grauium morborum remedia uiris et mulieribus tribuit: & dedit citharam, & das Muſicam, quibus uoluerit. Affert & iuſticiam quietam, & curat fatidicum angulum. Vnde & Heraclidas, et Aegimij filios collocauit in Lacedæmone, Argis, & Pylo. Meum autem eſt, ſonare à Sparta amabilem gloriam, unde nati uenerunt Theram, Aegidæ mei patres, non ſine diuino auxilio: ſed fatum quoddam duxerat Heraclidas ad ſacrificium Thebanorum. Inde & Carnea in Cyrene celebrantur, quam tenent bellicoſi hoſpites Troiani Antenoridæ. Cum Helena enim eò uenerunt, euerſa Troia.

Honorificè uerò equeſtres Cyrenæi, quos Battus duxerat, adiungunt ſacrificijs Antenoridas cum muneribus.

Condidit & Battus templa maiora Deorū, & rectā plateā Apollinis, pompis ſalutaribus, ut uia cōſtrata lapidibus equites geſtet. Vbi in poſtrema parte fori, ſeorſim Batti ſepulcrū eſt.

Beatus fuit apud ciues uiuens Battus: poſtea eſt Heros, qui colitur à populo. ſeorſim uerò cæteri reges ante urbem habent ſepulcra. Ma-

gnas

gnas autem uirtutes conſperſas molli rore, & carminum fluxu, audiũt tui maiores ſub terra: & ſentiunt filij felicitatem ſibi communẽ, & iuſtum decus eſſe, ô Arceſilae, quem in cantu iuuenũ decet celebrare Apollinẽ, cum habeas ex Pythijs perſolutionẽ ſumptuũ carmen uictoriale.

Virum illum, quem nominaui, prudẽtes laudant. Mentem habet ætate præſtantiorem: lingua et fortitudine excellit, ut aquila inter aues. Eius robur eſt munimentum certaminis: inter Muſas uolatilis inde uſque à pueritia, & ſimul eſt ſapiens aurigator: & quicquid faciunt honeſtè ciues, ipſe inter præcipuos aggreditur, ac Deus ei beneuolus nunc perficit fortitudinem. Quod utinam & deinceps fiat in factis & conſilijs, ne lædat ſenectam eius hybernus flatus. Quia Iouis mens magna gubernat fortunam uirorum, quos diligit. Opto generi Batti & Olympicos honores dari.

ODE VI.

Xenocrati Agrigentino, ἅρματι.

AVdite. Iam enim aut Veneris, aut Gratiarum campum peragramus: uidelicet umbilicum Pythiæ terræ, ad templum accedentes. Ibi hymnus de uictoria paratus eſt Emmenidis, & Agrigento & Xenocrati in Delphico prato: quem nec hybernus imber, nec nubiũ ex-

ercitus, nec uĕtus in angulos maris auferet cum promiſcua glarea.

Lucet facies hymni in patre tuo Thraſybule, & nunciabit uictoriam communem generi ueſtro. Tu uerò tenens ipſum patrem dextra, rectam admonitionem refers, quam Chiron tradidit Achilli: Primùm, ut Deum colat: deinde, ut non priuet honore parentum uitam.

Sic & olim generoſus Antilochus hanc mentem habens, pro patre Neſtore interfectus eſt, ſuſtinens Memnonem. Neſtoris enim currū equus impediebat, à Paride ſauciatus. Memnon autem ualidam haſtam contra Neſtorem mittebat. Turbatus igitur Neſtor, opem implorauit à filio: nec auertit eum trepidū dictum patris, ſed manſit diuinus uir, & ſua morte patris uitam emit. Viſus eſt igitur inter ueteres feciße opus mirandū poſteris, et ſummus fuiſſe uirtute erga parentes. Hæc iam præterierunt. At noſtro tempore Thraſybulus maximè accedit ad paternā regulam: & accedens ad patruum, ei lætici am affert. Mente regit diuitias, nō iniuſtam, nec ſuperbam ætatem agens: ſapientiam uerò in Muſarum angulis exercens. Te uerò Neptune, qui equeſtres ludos reperiſti, magno ſtudio colens: & dulcis animus inter conuiuas eſt, melli ſimilis.

ODE

ODE VII.

Megacli Athenæo.

PVlcerrimum præmium celebres Athenæ præbent generi Alcmæonidarum, ut inde fundamẽtum iaciatur hymnis de uictoria equeſtri. Quam enim patriam, quam domum clariorem audiens in Græcia nominare potero?

In omnibus urbibus ſermo eſt de Erechthei ciuibus, qui & templum Pythium Apollini rurſus inſtaurarunt. Trahunt autem me quinq; uictoriæ Iſthmiæ, una excellens Olympiæ, & duæ Pythiæ ueſtræ, & maiorum ueſtrorum.

Gaudeo equidem, propter recentem felicitatem: ſed etiam doleo, quòd inuidia permutat honeſta facta. Sed dicunt uiro in florente & ſtabili fortuna, hæc & illa ferenda eſſe.

ODE VIII.

Ariſtomeni Aeginetæ luctatori.

O Dulcis Trãquillitas, urbes magnificãs, filia Iuſticiæ, tenens claues conſiliorum & bellorum, accipe hunc honorem Ariſtomenis. Tu ſcis & benefacere, et beneficijs frui tempeſtiuè. Tu, quoties aliquis iram concepit, aſpera minitans, occurris, & iniuriam ponis in ſentinam. Te neq; Porphyrio agnouit, iritans Iouem præter modum. Illud lucrum tantum gra-

tum eſt, quod aliquis accipit à uolente.

Iniuria tandem euertit ſuperbum. Non Cilix Typho effugit pœnam. Neq; Gigantum rex effugit eam. Domiti ſunt autem fulmine, & telis Apollinis. qui Apollo benigna mente in Cirrha coronatum excepit filium Xenacris, in herba Parnaßia, & carmine Dorico.

Iuſta ciuitas inſulæ Aeginæ nõ excidit à Gratijs, tangens eas uirtutibus Aeacidarum. Perfectam enim gloriam habet ab initio. Multis enim celebrata eſt uictorijs, & educauit multos Heroas, qui excelluerunt in pugnis: quod inter uiros maximum decus eſt. Sed non uacat iam recitare totam laudationem Aeginæ, lyra & cantu; ne ſatietas moleſta ſit. Quod uerò ante pedes currit, eat.

Tuæ res, Ariſtomenes, circa meam artem recentißimæ uolant. Imitans enim luctando auunculos, non pudefacis: auges autem gloriam familiæ Midylidarum: & ſermonem fers, quem dixit Amphiaraus apud Thebas admanentes in prælio de poſteris, qui ſecundam expeditionem fecerunt ex Argo ad Thebas. Sic autem dixit de dimicantibus: Generoſi parentum animi, natura & in filijs excellunt.

Video perſpicuè Alcmæonem, agitantem in fuluo clypeo draconẽ in portis Cadmi. Sed A-

draſtus

draſtus heros debilitatus in priori bello, nunc habet nuncium melioris augurij. Sed in ſua familia accipiet contrarium malum. Solus enim ex Danaûm exercitu legens oſſa interfecti filij, reducet incolumem exercitum diuino auxilio ad Argos. Hæc dixit Amphiaraus.

Et ego gaudens Alcmæonem coronis orno, et conſpergo carmine: quia mihi uicinus eſt, & cuſtos mearum facultatum. & occurrit mihi eunti ad umbilicum terræ, uidelicet ad Delphos, & attigit cognatas partes uaticinij.

Tu uerò Apollo, qui cõmune templum regis in ualle Pythonis, ubi tribuiſti maximum gaudium Ariſtomeni, qui dediſti & antea uictoriã pentathli in Aegina: Te ſponte inuoco, ut reſpicias, quæ de quocunq; in harmonia rèpeto. Dulci carmini aſtat ueritas. Opto autem ueſtræ fortunæ, ô Xenarces, diuinũ auxilium. Cum enim aliquis ſine magno labore fortunatus eſt, is imperitioribus uidetur ſapiens, et ſuo cõſilio uitã exaltare. Id uerò nõ eſt penes homines, ſed Deus præbet: aliàs aliũ exaltans, aliũ uerò deijciens.

In Megaris habes honorem, & in angulo Marathonis: et in patrio certamine Iunonis ter uiciſti: incidiſti et quatuor corporibus, quæ uiciſti, quibus neq; reditus iucundus eſt per Pythium bordeũ, neq; riſus apud matrẽ in reditu

gratiam attulit. In plateis autem hoſtium fugitantes, ſunt trepidi, calamitate ſauciati.

Qui nactus eſt recens bonũ, uolitat ſpe magna, alata ſuperbia, habẽs gloriam potiorem diuitijs. Exiguo autem tempore durat felicitas, et rurſus decidit in terram quaſſata ſtulta mente. Viuimus uno die, quid eſt aliquis? quid eſt nullus? Sumus umbræ ſomniũ homines. Sed quando diuinitùs affulget lux, tunc ſplendet hominum uita, & grata eſt. O' Aegina mater, cum libero exercitu ſerues hanc urbẽ, cum Ioue, Aeaco, Peleo, Telamone, & Achille.

ODE IX.

Teleſicrati Cyrenæo armato curſori.

VOlo Pythiorũ uictorẽ Teleſicratẽ cum Gratijs nuncians ſonare, felicem uirũ, coronam Cyrenes: quam comoſus Apollo ex flatuoſo ſinu Pelij rapuit, & tulit uirginem uenatricem in aureo curru, ubi fecit eam dominam fertiliſſimæ terræ, ut habitaret in parte orbis tertia, florentiſſima Libya.

Excepit autem Venus Apollinem hoſpitem, diuinum currum manu leuiter attingens: & eis iniecit uerecundum amorẽ dulcium cubilium, iungens Apollini nuptã filiam Hypſei, qui tunc

erat potens rex Lapitharũ, ex Oceano ſecũdus ducens genus, quẽ olim in Pindi uallibus nympha Creuſa Terræ filia in lecto Penei peperit.

Hic uerò filiam habuit Cyrenem, quæ nec telarum retrogradas uias amauit, neq; cœnarũ delicias inter domeſticas ſocias: ſed iaculis æneis & enſe pugnans, interfecit beſtias, pacem efficiens paternis bobus, exiguum ſomnũ palpebris impendens ad repentem auroram.

Apollo deprehendit eam cum robuſto leone ſolã luctantẽ, ſine haſta. Statim igitur Chironẽ euocat ex domo: O' Chiron, relinquens antrum tuum, admireris fortitudinem uirginis: quale certamen uirgo ſuſtinet intrepido capite, habens pectus ſuper laborem, nec eius mens fluctuat metu? Quis eam genuit? & à qua ſtirpe producta, uenit in horum montium ſpecus, & tentat infinita certamina? Pium'ne eſt eam contrectare, et ex lecto decerpere dulcem herbam?

Huic reſpondens Centaurus, blandè ridens amabili ſupercilio dixit: Occultæ ſunt claues perſuaſionis amorum in dijs & hominibus. Verecũdia tenentur palàm attingere puellam. Te quoq;, quem nemo fallere poteſt, amor mouit hunc ſermonem efferre. Me'ne interrogas, unde genus ſit puellæ, qui ipſe noſti omnẽ finem, & omnes uias, & quot uerna folia producat

terra,& quanta arena in mari & fluminibus uoluatur fluctibus & uentorum impetu:et uides quæ futura ſint,& unde ſint euentura? Sin autem licet cum ſapiente loqui,dicam.Huic fies maritus in hoc prato, & duces eam trans mare in hortum Iouis:ibi eam facies principem ciuitatis,congregans inſularem populum ad tumulum equeſtrem. Nunc Libya habens ſpacioſa prata, recipiet Nympham in aureis tectis: ubi ei terræ partem attribuēs, legitimè donabit habentem,& plantas fertiles, & feras. Ibi & filium pariet Ariſtæum: quem Mercurius auferens à matre,dabit educandū Horis & Terræ.

Hæ polito infanti in genibus nectar & ambroſiam inſtillabunt, & facient eum immortalem, ſicut Iouem & Apollinem, ut ſit gaudium hominibus: & proximum comitem pecudum, uenatorē et paſtorē, et ut nominetur Ariſtæus.

Sic locutus Chiron, monebat Apollinem,ut dulces nuptias perficeret. Dijs feſtinātibus,celeriter res fit: & breues uiæ ſunt. Illa dies perfecit.Conuenerūt aūt in aureo thalamo Libyæ, ubi pulcherrimā urbē & clarā certaminib.Cyrene curat.Et nunc in Pythone filius Carniadæ uictor eam ornat corona,& clarā fecit:quæ & beneuola eum recipiet in patria habēte pulcras fœminas,ex Delphis afferentē magnam gloriā.

Excellens

Excellens uirtus celebrari longa oratione poteſt. Sed pauca de magnis dicere, ſatis eſt ſapienti auditori. Sed opportunitas dominatur in quolibet negocio. Norunt & Thebæ Iolaum, qui non neglexit occaſionem: quem poſtquam Euryſthei caput præciderat enſis acie, ſepelierunt prope monumentum Amphitryonis, qui fuit eius paternus auus: qui fuit hoſpes Thebis, quas rexerũt nati ex ſatis dentib. Draconis.

Peperit enim Alcmena, Amphitryoni et Ioui mixta, gemellos uno partu. Mutus eſt, ſi quis non celebrat Herculẽ, neq; Dircæas undas, quæ ipſum & Iphiclum aluerunt. Hos ego alias celebrabo, ne me deſtituat lumen Gratiarum. Sed hunc Teleſicratẽ dico ter in Aegina & Niſi tumulo uictorem fuiſſe, & effugiſſe tacitam ignauiam factis.

Si quis igitur ciuium aut amicus aut inimicus eſt, quod publicè rectè factum eſt, ne occultet, lædens ſermonem Nerei. Hic enim dixit: Etiam inimici laudent toto animo eum, qui res iuſtas egit. Sæpe uidi te uincere in annuis ſacrificijs Palladis, ubi quælibet uirgo te ſibi uirũ aut filium optauit: & in Olympijs, & in littore, & locis uicinis.

A' me igitur aliquis exiget curationem ſitis Odarũ: hoc debitum ſoluo, uidelicet laudes tuorum

rum maiorum: quales iuerint ad urbem Antæi Iraſſam, ut eſſent proci Libycæ mulieris: quam multi principes cognati, & multi peregrini petebant, quia admiranda forma erat, & decerpere omnes florem pubertatis uolebant. Pater autem Antæus uolens glorioſum coniugium filiæ quærere, audiuit qualia coniugia Danaus octo et quadraginta filiabus inuenerit ante meridiē. Conſtituit enim totum chorum filiarum in metis, et iußit ſingulos Heroas curſu certare, ut haberet quiſq; quam uellet. Sic & Antæus dedit filiæ ſponſum. Collocauit enim eam ad metam, ordinans, ut ibi meta curſus eſſet, ubi uirgo ſtabat: & iußit ut ille eam abduceret, qui primus eam attigiſſet. Ibi Alexidamus uictor, eam duxit per equites Nomadas. Illi multa folia & coronas ei obiecerunt. tulit & antea alias uictorias.

ODE X.

Hippocleæ Theſſalo diauli curſori.

FElix Lacedæmon, et beata Theſſalia. Nam in utraque regnat genus Herculis, ex uno patre Ariſtomachi. Quid autem glorioſa recito intempeſtiuè? Nam me Pytho & Aleuadæ uolunt ſonare Hippoclem, ducentem ſodalitij uocē. Guſtat enim certamina in cœtu Amphictyonum,

num, & angulus Parnaſsius renunciauit eum uictorem per duo ſtadia. Deo iuuante finis homini dulcis eſt, & creſcunt initia.

Hic quidem tuo conſilio, ô Apollô, hanc rem perfecit: ſed natura fecit eum inſiſtere ueſtigijs patris, qui uicit in Olympijs. Bis in armis Martis uictorem fecit Phriciam, agon ſub rupe Cirrhæ. Adſit fortuna et futuro tempore, ut floreat diuitiæ utriuſq;.

Adepti autem dulciſsimos honores in Græcia, non incidant in triſtes mutationes. Deus ſit eis innoxium fatum. Felix ille, qui uicit in certaminibus audacia & robore, & uidit filium uictorem. Non efferant autem ſe ita, ut uelint intra cœlum penetrare. Quam felicitatem nos homines attingimus, illa metas habet. Nec nauibus nec terra inuenias uiam ad Hyperboreum certamen, quò dux Perſeus peruenit ad epulas, inueniens eos ſacrificare hecatomben aſininam, qua gaudet Apollo, ridetq; arduorũ animalium mactatione. Nec Muſica abeſt à moribus ipſorum. Vndiq; ſunt chori uirginum, & ſoni lyræ & cithararum, & tibiæ: & aurea lauro comas ligantes, hilariter conuiuantur: nec morbi, nec ſenectus ſunt in ea gente, & ſine laboribus & ſine pugnis habitant, & effugiunt ultricẽ Nemeſin.

Ad hunc beatorum cœtum uenit audax Perſeus,

ſeus, præcedēte uerò Pallade: & interfecit Gorgonem, & rediijt afferens caput uariatum comis draconum, quod lapideam mortem inſularibus attulit, mihiq; admirationem. Deo autem perficiente, nihil incredibile eſt.

Remum inhibeto, & citò ancoram figito in terra de prora, quæ eſt munimentū contra ſcopulos latētes in mari: Nam flos hymnorū aliàs ad alium ſermonem properat, ſicut apis. Equidem ſpero Theſſalis circa Peneum fundentibus meā dulcem uocem, magis celebraturos eſſe carminibus Hippoclē, ut curæ ſit coætaneis, & ſenioribus & uirginibus. Aliorum enim animos alij amores cruciant.

Cum autem, quæ curat aliquis, ijs potitur, habet uelocem delectationem in præſentia. Quæ autem in anno futura ſunt, proſpici nō poſſunt.

Confido dulci amicitiæ Thoracis: qui expetens meam beneuolentiam, iunxit hunc currum Pieridum, amans amantem, ducens ducentem beneuolè. Vt aurum lapide Lydio exploratur, ita et mens habet ſuam explorationem. Fratres eius etiam laudamus, qui augent Theſſalorum ſtatū.

Nam gubernatio in patria bonis commendata eſt.

ODE

ODE XI.

Thraſydæo Thebano puero, uictori in ſtadio.

CAdmi filiæ, Semele ſocia cœleſtium, et Ino marinarum Nereidum ſocia, adeſte cum generoſa Herculis matre, ad aureorum tripodum penetrale, apud fluuium Iſmeniũ: quod Apollo excellenter honorauit, et nominauit Iſmenium, ueram ſedem uaticiniorum.

O filiæ Harmoniæ, huc & iam legitimum Heroidũ cœtũ conuenire iubet Apollo, ut Themin & Pythonem & umbilicũ terræ ſonetis initio ueſperæ: et hoc officiũ præſtetis Thebis, et agoni Cyrrhæ, in quo Thraſydæus paternos lares celebres reddidit, imponens eis tertius coronam in diuite terra Pyladæ uincens, qui fuit hoſpes Laconici Oreſtis: quẽ interfecto patre Arſinoe nutrix ex Clytemneſtræ manib. ex luctuoſo domo ſuſtulit, quando Caſſandram cum Agamemnone interfecit ſæua mulier.

An Iphigenia ad Euripum mactata, procul à patria, mouit matrem, ut excitaret grauem iram? An uerò alieno thalamo laſciuientem, nocturni concubitus adegerunt? quod in iuuenculis nuptijs odioſum delictum eſt, & occultari alienis linguis non poteſt. Ciues autem ſunt maledici,

ledici, & potentia habet multos inuidos. Pauperes manent ignoti. Interfectus eſt autē Agamemnō, reuerſus poſt longum tempus ad Amyclas: et perdidit Caſſandram, poſtquam propter Helenam deletis Troianis deſtruxit opulentas domos. Oreſtes uerò iuuenis uenit ad Strophiū, qui habitauit ad Parnaßi pedem. Hic poſtea & matrem & Aegiſthum interfecit.

Certè, ô amici, qui per deuiam ſemitam uolutatus ſum, cum antea rectum iter ingreſſus ſim. An me uentus extra uiam, ceu marinam nauim proiecit, ô Muſa? Sed ſi mercede uocem tuam argenteam pacta es, aliàs alia carmina mouenda erunt, patri uictori aut Thraſydæo, quorum lęticia et gloria ſplendet. Victores curribus in Olympijs claritatem habuerunt: & in Pythone nudi deſcendentes in ſtadium uicerunt cæteros Græcos curſu. Diuinitùs optarim ex bonis poßibilia in uita mea. Inueniēs enim in urbibus mediocria diutius florere, accuſo fortunā tyrannorum. Communi uirtute contentus ſum.

Inuidi ſua ipſorum peſte puniuntur. Si quis peruenerit ad extremum ad metam, & effugerit iniuriam, & tandem placidè moritur, is relinquit filijs ſuis bonam famā, quæ ſuperat omnes diuitias: quæ Iphicli filium Iolaum extollit, ut clarior ſit: & Caſtorem, & Pollucem, Deorum

rum filios, qui aliàs interdiu ſunt in ſedib. Therapnes, aliàs intra Olympum habitant.

ODE XII.

Midæ tibicini Agrigentino.

QVæſo te, ô ſplendida urbs, ſedes Proſerpinæ, in ripa Agragantis. O' Domina Proſerpina, benignè recipito coronam Midæ ex Pythone, & ipſum qui arte ſua Græcos uicit: quam artem Pallas inuenit, imitans triſtem lamentationem Gorgonum, quam Perſeus audiuit, ſub ſerpentum deformibus capitibus fuſam lugubri labore, quando Meduſam tertiam ſororem interfecit, poſtea marinæ Seripho & populis exitium adferens: et Phorcys diuinum genus deleuit, & triſte conuiuiū Polydectæ fecit, & ſeruitutem matris & coactum coniugium ſuſtulit, cum formoſæ Meduſæ capita rapuiſſet filius Danaes, quem ab auro ſponte fluente natum eſſe dicimus.

Sed poſtquam ex his laboribus uirum liberauit Pallas, fecit tibias, quas inuenit imitans cum organis ſonoros luctus Euryales, ex uelocibus genis editos. quod cum inueniſſet, dedit hominibus, & nominauit Harmoniam multorum capitum conuenientem ludis, tranſeuntem per tenue æs, et calamos, qui creſcunt prope urbem

Charitũ in luco Cephiſi,fideles certantiũ teſtes.

Si qua felicitas eſt hominum,non eſt ſine moleſtia. Deus autẽ perficiet aut hodie,aut poſtea. Fatum uerò nõ eſt euitabile. Sed erit tempus illud,quod et deſperantem rurſus in ſpem erigit: & aliud quidẽ dabit,aliud quidem denegabit.

PINDARI NEMEA.

ODE I.

Chromio Ætnæo.

ORTYGIA, *in quam effunditur Alpheus,Syracuſarũ decus, & cubile* Dianæ, Deli *ſoror, à te hymnus incipit dicere laudem uelocium equorum, in gratiam Iouis Aetnæi,qui currũ agitat Chromij, & iungit encomium uictoriæ in* Nemeis. *Initia diuinarum uirtutum illius uiri poſita ſunt à* Deo. *Gloria eſt magna fœlicitas. Magnorũ enim certaminũ Muſa meminiſſe ſolet.* Nunc *excita carmen Siciliæ,quam Iupiter donauit Proſerpinæ: & annuit,ut ipſa domina fertilis ſoli,regat pinguem Siciliam cum diuitibus urbibus. Præbuit autem ei Iupiter bellicoſum populum:ſæpe etiã*

ornatum

ornatum Olympicarum olearum aureis ſolijs. Multa attigi, non falſò iaciens. Steti in ueſtibulo uiri hoſpitalis, egregia facta canens: ibi mihi cœna conueniens apparata eſt, nec eius domus eſt unquam ſine hoſpitibus. Accidit bonis, ſic reſtinguere obtrectatores, ut ſi quis aquam in ignem ſpargat. Aliæ ſunt aliorum artes: oportet autem recta incedentem uia, anniti pro natura. Robur iuuat opus, mens conſilia, cum proſpicit, qualis euentus quæ conſilia ſequatur. O Chromi, tui mores ſunt idonei ad hæc, & ad illa. Non expeto magnas diuitias habere abſconditas: ſed frui præſentibus, & bene audire, & amicis ſuppeditãs benefacere. Communia enim futura eueniunt hominibus. Ego autem libenter Herculem amplector, ueterem ſermonem mouens de magnis uirtutibus: quomodo cum Iphiclo fratre ex matre in lucem editus ſit, & non ignorante Iunone inuolutus textis faſcijs. Sed Iuno dolens, mox dracones miſit: qui apertis ianuis ad thalami angulum peruenerunt, conantes implicare genas pueris. Sed Hercules erigẽs caput, experiebatur primã pugnam: & duabus manibus inuictis duos ſerpentes cõprehendens, ſtrãgulauit eos, & corpus exhalauit animas ex membris. Inde magnus metus concuſſit mulieres, quæ miniſtrabant lecto Alcmenes: & ipſa

ſurgens ex lecto nuda, depluit ſæuitiam beſtiarum celeriter: & duces Thebani cum armis accurrerũt. Venit & Amphitryo, cum ſtricto gladio, ſubito dolore ictus. Nam propria mala magis premunt homines: ſed in alieno dolore corda minus cruciantur. Stetit ergo, ſtupens metu & læticia. Vidit enim excellentem animum, & fortitudinẽ filij. Ac dij fecerant, ut uideret contraria quàm nunciata fuerant. Vocauit autem Tireſiam uicinum uatem. Hic, quæ euentura eſſent Amphitryoni & cæteris, uaticinatus eſt: quòd in terra occiſurus eſſet, & in mari, pernicioſas beluas: & quendam cum obliqua ſuperbia incedentem, inimiciſſimum uirum, dixit periturum eſſe. Et quando dij in campo Phlegræ pugnabunt cum Gigantibus, coma eius erit puluerulenta præ telorum iactu. Prædixit etiam, cum in pace omni tempore continuò acceptu rum eſſe compenſationem tranquillam laborũ in cœlo, Heben coniugem: & nuptias celebraturum eſſe apud Iouẽ, & laudaturũ ſanctã domũ.

ODE II.

Timodemo Athenienſi, uictori in pancratia.

VT Homeridæ plerunq; ſumunt initium carminum à Ioue: ſic iſte uir fundamentum

tum certaminum & uictoriarũ ſumpſit in luco Iouis Nemeæi. Debitor autem eſt patriæ. Siquidem in uia eum ætas dedit ornamentum magnis Athenis, ut ſæpe decerpat fructus Iſthmiorũ & Pythiorum. Congruit autem, non procul à Pleiadibus mõtanis Orionem incedere. At Salamis nutrire uirũ bellicoſum poteſt, in Troia Hector audiuit Aiacem. Te uerò laborioſa uictoria pancratiæ facit inde abuſq; uetuſtate. Acarnenſes ſunt uiri fortes, & narrant certamina ueſtræ familiæ. quatuor enim uictorias apud Parnaſſum reportauit ex Corinthijs, in angulo Pelopis octo coronas, ſeptem in Nemeis: domi uerò plures quàm ut numerari poßint, in Iouis agone. Hæc canite Timodemo, cum glorioſo reditu: incipite dulci uoce.

ODE III.

Ariſtoclidæ Æginetæ uictori in pancratia.

O Veneranda Muſa mater, ſupplico, ut eas in hoſpitalẽ inſulam Aeginam, hoc ſacro menſe, quo celebrantur Nemea: apud fluuium Aſopum ſunt iuuenes carminum artifices, tuam uocem quærentes. Alius aliud negocium expetit. Victor autem maximè carmen amat, ſociam coronarum & uictoriarum, cuius copiam

tribuas mihi, ô Muſa. Incipe in mente mea hymnum filia cœli potentis: ego uerò communicabo eum illorum ſermonibus, & lyræ: & regi Myrmidonum habebit dulcem laborem, quorum antiquum forum non dedecorauit Ariſtoclides, ſuo loco in pancratij exercitatus certamine. Habet autem uictoriam, dulce remedium laboris. Si quis autem pulcher eſt, & facit congruentia formæ, & acceſsit ad excellentem uirtutem, non ulterius facile eſt traijcere mare ultra columnas Herculis, quas Heros extremæ nauigationis teſtes poſuit, qui grãdes beluas in pelago domuit, & proprio labore ſtagnorum fluxus ſcrutatus eſt, ubi deſcendit ad finem reducentem homines, & terræ metas oſtendit. Sed quid ad alienum promontorium deflexiſti meum curſum animi? Nunc enim uolo celebrare Aeacum, & eius genus. Flos enim eſt iuſti ſermonis, laudare bonos. Nec honeſtus amor eſt, alienis laudibus quenquam ornare: ſed domeſtica quære. Habes autẽ propriũ decus, quod dulce eſt prædicare Peleus antiquis ſuis uictorijs lætatus eſt, cum ſecuiſſet haſtam excellentem: qui cæpit Iolcum ſolus ſine exercitu, & marinam Thetin comprehendit cum labore. Fortis autem Telamon, commilito Iolai, uicit Laomedontem, & ad exercitum Amazonum profectus eſt, neq; unquã timor expulit

lit ei fortitudinē animi. Naturali uirtute quiſq; magnus eſt: Sed qui tantum doctrina ualet, obſcurus eſt, aliàs alia ſpirans, & nunquam fœliciter firmo incedit pede, et imbecilli animo guſtat uarias uirtutes. Achilles autem puer in domo Philyræ manens, crebrò luſit magnis operibus, uibrans graue iaculum ſimile uentis: & pugna occidit leones et apros, corpora uerò ad Saturnium centaurum anhelantia attulit, cum ſexennis adhuc eſſet. Toto deinde tempore mirabantur eum Diana & Pallas, interficientem ceruos ſine canibus & ſine retibus. Pedibus enim ualebat. Venio ad hoc uetus dictum, quòd ſenex Chiron in ſaxea domo aluit Iaſonem & Aeſculapium, quem docuit pharmacorū artificioſam doctrinam. Deinde deſpondit Peleo Thetidem, et educauit filium excellentem, ornans animum omnibus uirtutibus, ut ad Troiam flatu uentorum profectus, pugnam Lyciorum & Dardanorum ſuſtineret, & Phrygum: & pugnās cum Aethiopibus cogitaret, ne Memnon patruelis Heleni domum rediret. Inde clarum lumen eſt Aeacidarū, ô Iupiter. tuus enim ſanguis eſt, tuū certamen: quod hic hymnus uoce iuuenum celebrat inter indigenas, & cantus uictorem Ariſtoclidem ornat, qui huius inſulæ gloriam auxit, & templum reddidit ſplendidius. Experientia

 oſtendit,

oſtendit,qua quiſque re excellat. Inter iuuenes eſt iuuenis,uir inter uiros,inter ſenes ſenex,tribuens ſingulis conuenientem partem. Habet et quartam uirtutem, quòd præſentia rectè curet: & non deeſt præſentibus negocijs. Salue amice, hoc carmen tibi dono, melle & lacte mixtũ: & ros circundat Aeolicis tibijs potum,etſi ſerò mitto. Sed aquila eſt celerrima inter uolucres, quæ rapit prædam procul quærens:graculi uerò clamoſi depaſcunt humilia. Vidit lux,uolente Muſa Clio, te propter uictoriam Nemeæ, & Epidauriam,& Megarenſem.

ODE IIII.

Timaſarcho Æginetæ uictori in palæſtra.

LAeticia optimus medicus eſt finiti laboris,et Muſarum filiæ Odæ adiunctæ mulcent eam, Nec aqua calida ſic lenit defatigata membra, ut laus conſona citharæ. Sermo diutius durat opere,quem cum Gratijs lingua profundæ mentis profert. Hoc ponere mihi liceat procemiũ hymni Iouis & Nemeæ,& luctæ Timaſarchi.Recipiat autẽ Aeacidarum ſedes hoc commune lumen iure hoſpitij. Si pater tuus Timocritus adhuc uiueret,ſæpe hunc hymnum caneret,intentus huic carmini:& caneret mitten

tem

tem catenam, coronatũ ex certamine Cleonæo, & ab Athenis: & quia Thebis ad Amphitryonis tumulum Cadmæi eum non inuiti coronauerunt, propter Aeginam. Venit enim amicus ad amicos, ad hoſpitalem urbem, ad aulam Herculis: cum quo Troiam Telamon expugnauit, & Coos, & Gigantem Alcyonea: nec tamen uicit, prius quàm Herculi duodecim quadrigas contriuit, et in eis uigintiquatuor milites, iacto lapide. Imperitus eſt bellorum, qui non intelligit dictum: Facientem aliquid oportet & pati aliquid. Plura me dicere prohibet lex, & Horæ feſtinantes. Trahor autem ut faſcino, ut nouilunij pompam attingam. Et quanquam profunda inſula tenet medium ſaltum, tamen reſiſte inuidiæ, ut magis uideamur in luce uerſari, melius quàm hoſtes. Nam inuidus in tenebris inane & humile conſilium uoluit. Sed mihi quam uirtutem dedit Deus, perficiet ueniens tempus. Tu uerò dulcis cithara, prætexe carmen Lydia harmonia Oenonæ & Cypro, ubi Teucer eſt, Aiax uerò tenet Salaminam. At in Euxino tenet Achilles inſulam Leucen: Thetis uerò tenet Phthiam, Neoptolemus uerò celebratam Epirum, ubi in altis collibus paſcuntur boues, incipientibus à Dodona uſq; ad mare Ionium. Sed ad Pelij montis radices ſeruam Iol-

cum tradidit Theſſalis Peleus, uſus dolo Hippo lytes coniugis Acaſti. Nam Acaſtus machæra Dædali per inſidias machinatus erat mortẽ Peleo, ſed Chiron depulit ei fatale malum. ignem, & leonum ungues, & aciem dentiũ cohibens, duxit unam Nereidum. Vidit & ſedem, in qua dij ſederunt in nuptijs, & oſtenderunt ei dona & potentiam ſinguli iuxta ſuam naturam. Vltra Gades tranſire ad occaſum, non eſt poßibile. Reduc nauim ad Europam: non poſſum enim omnes laudes Aeaci & poſterorum eius recitare. Ego autem ueni ut celebrem Theandridarum certamina in Olympijs, Iſthmo, Nemeis: ubi experimentum habentes, domum non ſine nouis coronis redierunt. Hanc tuam patriam audimus miniſtram eſſe carminũ triumphalium. Sin autem iubes me Callicli auunculo columnam ponere candidiorem Pario lapide, hoc quoq; faciam. Vt aurum coctum magis fulget, ita carmẽ regibus pares facit. Hic Callicles circa Acherontẽ habitãs, inueniat meã linguam celebrantẽ ipſum, qui floruit apijs in agone Neptuni. Hũc Euphanes auus tuus canet. Alij alios æquales habẽt. Quæ aũt uidit aliquis præſens, ea poteſt excellẽtißimè narrare. Qualẽ uerò laudãs, Meleſiã mouerit litẽ. inuictus enim eſt, ſi uocetur in certamẽ, placidus bonis, aſper inimicis.

ODE

ODE V.

Pytheæ filio Lamponis pancratiaſtæ.

Non ſum ſtatuarius, ut mobilia opera faciam in eodẽ ſolo ſtãtia. Sed uade Muſa ad omnes naues onerarias & cymbas: et nuncia Aeginetis, quòd Lamponis filius uicerit in Nemeis, cũ nondũ genæ eius oſtenderint autumnũ qui gignit uuas labruſcarũ. Decorauit aũt Heroas à Saturno & Ioue ortos, & à Nereidibus Aeacidas, & Aeginam: quam olim fundauerũt multitudine ciuium et nauibus, ſtantes ad aram Iouis Hellenij, tendentes palmas ad cœlum, filij Endeidos, & Phocus, quem peperit Pſamathe. Vereor dicere grande quiddam, et non iure factum, et quomodo reliquerint inſulam, & quæ fortuna uiros fortes ex Oenone expulerit. Reſiſtam, non dicturus ſum. Interdum enim melius eſt, non oſtendere Veritatis faciem: & tacere ſæpe inter homines, ſapientiſſimum conſilium eſt. Sin autem Aeacidarum felicitatem, aut fortitudinem, aut bella laudare uiſum fuerit, etiamſi longos ſaltus mihi aliquis fodiat, tamen habeo leuia genua, ut aquilæ ultra mare uolitant. Libenter autẽ & ad Pelium montem canit chorus Muſarum, & in eo Apollo tenens citharam inchoat

choat omnes melodias. Hæ autem primũ à Ioue exordientes, laudabant Thetidem et Peleum, ut eum tenera Hippolyte interficere uoluerit, ſuadens uarijs conſilijs marito: et finxerit emen titum ſermonẽ, quòd tentaſſet ſponſam Acaſti. Sed cõtrariũ erat: nã ipſa ſupplicauerat Peleo. Sed ſublimes ſermones Pelei mentem eius mone bant, ut recuſaret concubitum, metuens iram Iouis hoſpitalis. Iupiter id uidens, annuit ut perſuaderet Neptuno, ut daret ei marinã ſpon- ſam. qui ab Aegis ſæpe ad Dorienſem Iſthmum accedit, ubi turmæ iuuenum excipiunt eum cum fiſtulis, & certant robore membrorũ. Vt autem cuiuſq; fortuna eſt, ita habet exitus. Tu uerò Euthymenes, cadẽs in Aegina, in certaminibus fortunæ multos adeptus es hymnos uictoriæ. Iam uerò rurſus inſequentẽ delectat auunculus tuus Pytheas, quia Nemea ei fortunata eſt: & menſis patrius, quem Apollo diligit. Vincit au- tem æquales, aduenas & domeſticos, in tumulo Niſi. Lætor autem, quòd tota ciuitas pugnat de rebus honeſtis. Scito autem, quòd dulcem com- penſationem laborum Menandri feliciter acce- peris. Oportet eſſe ab Athenis magiſtrum certa taminum. Sin autẽ uenis ut celebres Themiſtiũ, ne rigeas: ede uocẽ, tende uela ad iugum corbis, & canito pugilem & pancratiaſtem habuiſſe

tres

tres uictorias in Epidauro, & in Aeaci ueſtibulo, & coronas florum cum Gratijs.

ODE VI.

Alcimidæ Æginetæ.

Cognatio eſt deorum & hominũ. Vtriq; ex una matre ſpiramus. Diſtinguit autẽ nos ſeparata potentia, quia nos quidem nil ſumus: ſed ferreum cœlum ſemper manet tuta ſedes. Qua tamen re immortalibus ſimiles ſumus? Seu mente, ſeu ingenio: quanquam non ſcientes, ad quam metam fatũ nos ſcripſerit currere diurnam aut nocturnam. Oſtendit autem & Alcimidas cognationem ex frugifera tellure, quæ præbet aliquando fruges quotannis, aliquando uerò quieſcens rurſus accipit uires. Venit adoleſcens ex iucundis Nemeæ certaminibus, qui hanc naſtus familiæ felicitatem, nunc nõ expers eſt certaminis in aui ueſtigijs. Hic enim cum eſſet uictor in Olympijs, inter Aeacidas, ramis coronatus eſt ad Alpheum, & renouauit memoriam ſuorum. Tres enim fuerunt uictores. Cum Deo autem labor felix eſt. Ac oſtendit iſte, nullam domũ clariorẽ in Græcia eſſe uictorijs. Quanquam magna dico, tamen exiſtimo me ad ſcopũ dirigere ſagittam. Tu uerò Muſa, tanquam ab arcu mittens ſagittam, duc uentum ſecundum ad iſtum.

iſtum. Nam poetæ & eloquentes tradunt egregia facta eorum qui fuerunt. Baßidis non deeſt celebratum genus, cui propriè uehant encomia Pieridum cultores, ac poſſunt præbere carmina de glorioſis factis. Nam in miranda Pythone pugil uicit Callias, ceſtum tenens alligatum manibus ex ea familia, canens Latonæ gnatis ad Caſtalium fontem ueſperi in cœtu Gratiarum: & fulſit Iſthmus in trieterico ſacrificio uicinorũ, & honorauit Calliam per Neptuni templum: et herba leonis eum uictorem coronauit, ſub uetuſtis montibus Phliuntis. Sunt autẽ latæ uiæ laudum Aeginæ: quia Aeacidæ magnũ decus ei addiderunt præclaris factis. Volitat per terram et mare nomen eorum, et proſiluit uſq; ad Aethiopas, poſtquam nõ eſt reuerſus Memnon, quibus incidit graue certamen: cum Achilles deſcendẽs ex curru, Auroræ filium interfecit haſta terribili. At ueteres hanc latam uiam ingrediuntur in laudationibus, quam & ego in hac meditatione ſequor. Præſens cura maximè excruciat animum. Sed fluctus qui uoluitur ad nauis pedem, ut dicitur, maximè turbat animum. Ego autem uoluntario dorſo ſubiens geminum onus, ueni præco, & hoc quintum decus ſupra uiginti ex certaminibus narro, quæ nominant ſacra: quod Alcimidas addit inclyto generi. Sors autẽ

duabus

duabus coronis Olympicis apud Iouis lucũ nos priuauit: Meleſiam uerò ſimilem delphino dico, ſaltu & manuum robore aurigantem.

ODE VII.

Sogeni Æginetæ.

AVdi Lucina, miniſtra Parcarum, Iunonis filia, genitrix puerorum: ſine te nec lucem, nec noctem, nec Heben tuam ſororẽ uidemus. Non omnes ſimili modo uiuimus: aliud iugum alios ſeparat à beatitudine. Sed tecum filius Thearionis, uirtute excellens, glorioſus canitur inter uictores. Habitat enim urbem Aeacidarum, amantem carminum, qui uolunt regere animum experientem certamina. Si quis res honeſtas gerit, affert materiam Muſis. Nam uirtutes magnæ ſine carminibus, relinquuntur in tenebris. Vnicum hoc ſpeculũ ſcimus egregiorum factorum: unico modo pulcræ memoriæ cauſa celebrari carmine. Sapientes norunt uentum triduo pòſt uenire: nec lucri cupiditate ſoluunt nauim, non conſiderato uento. Diues & pauper ſimul prope ſepulchrum habitant. Ego Vlyßis ſapientiam exiſtimo maiorem factam eſſe carmine Homerico, quàm fuit. Ineſt enim ſpecies uolucri figmẽto mendaciorum, ac ſapientia decipit ſermonibus. Vulgus enim habet cæcam mentem. Si ueritatem ſciremus, non

propter

propter arma iratus Aiax fixiſſet in præcordijs latum enſem, qui excepto Achille præſtantiſsimus inter duces ad Troiam eſt profectus. Sed fluctus mortis communiter omnibus uenit, cadunt pariter ignobiles & nobiles: illis autem honos tribuitur, quorũ Deus laudes auget mortuis ſocijs. Venit enim Pyrrhus ad Delphos, et iacet in Pythijs campis, poſtquã euertit Ilium: ubi & alij Græci magnos labores tulerũt. Pyrrhus uerò diſcedens non redijt in Scyrum, ſed uenit in Ephyren: & aliquãdiu in Moloßia regnauit, & poſteritas eius retinuit regnum. Ipſe uerò ad Delphos profectus eſt, ex Troia aduehens ſpolia: ubi in pugna ſacrificij uir quidam gladio impulit occurrentem. Delphi autem hoſpites grauiter tulerunt: ſed fatum hoc ei dederat. Oportebat enim regem ex Aeacidis, in templo Delphico eſſe ſpeculatorẽ in pompis ſacrificiorum. Ad bonam cauſam tria uerba ſufficiunt: nec mendax teſtis præſidet negocijs. Difficile eſt mihi dicere uiam uirtutum filiorum tuorum, ô Aegina et Iupiter, quæ ſplendent ex domo ueſtra. Sed requies in omni labore dulcis eſt, & mellis & florum Veneris ſatietas eſt. Natura autem ſinguli differimus, nacti alius aliam uitam. Eandẽ rem adipiſci omnes impoßibile eſt. Nec poſſum dicere, cui adepto totam

beatitu-

beatitudinem, fatum præbuerit ſtabilem finem. Tibi dat conuenientem felicitatem, et ſuſcipientem audaciam non deſtituit prudentia. Ego hoſpes ſum, non aufero reprehenſionem: laudabo uirum amicum, ducēs ad eum ceu aquæ fluxus. Hæc bonis uiris merces opportuna eſt. Propè exiſtens Achæus, habitans ultra Ionium mare, non reprehendet me. nam & hoſpites honore afficio, & lætus aſpicio ciues, nō ſuperbus, remouens à me uiolenta: accedat autem ueniens læta ætas reliqua. Dicat aliquis, ſi quis nouit, an inconcinnè ulli maledicum ſermonem attulerim: iuro, me nō progreſſum eſſe ultra metam: nec mouere celerem linguam, ſeu acutam ſagittam de te, qui eduxiſti ceruicem ſine ſudore ex certaminibus, prius quàm ſolis ardorem membra ſentirent. Etſi labor non eſt ſuauis, tamen uictoria eſt dulcis. Sine me, ſi quid altius ſono, uictori gratum facere. non enim inuitus uictores celebro.

Incipe Muſa nectere coronas: glutines aurū, æs, & ebur, & florem decerpens corallij. Iouis etiam memor ſis in Nemeis, placidè proferas uarios hymnos. Decet Iouē in eo ſolo celebrare uoce ſacra. Dicunt enim eum patrē eſſe Aeaci, qui meæ patriæ adiutor eſt, ô Hercules: tuus autem amicus, & frater, & hoſpes. Cum homo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

homini proſit, quid dicemus uicinum eſſe uicino, amantem intento animo? certè læticiam maximam. Quantum bonum eſt, cum Deus uicinus eſt? Tecum autem, ô Hercules Gigantum domitor, ut cum patre uult habitare Sogenes, curans tenerum animum maiorum, & diuitem uicum: quia in tuo luco domũ habet, tanquam inter quadrigas utraq; manu te præhendens. Te decet Iunonẽ, & Iouem, & Palladem ei placare, potes & ipſe homines liberare ex difficilibus malis. Vtinam eis adiungas ualidam ſenectam ad pubertatem, & claræ ſenectæ tribuas fœlicitatem: & filij filiorum ſemper habeant honorem, quem & nunc habent: et habeant poſtea maiorem, imò creſcat eis. Nunquam uerò dicet cor meum indignos ſermones de Neoptolemo. Eadẽ ter aut quater reuoluere moleſtũ eſt: ſicut crebrò repetitus Iouis Corinthus pueris.

ODE VIII.

Diniæ filio Megæ.

O Pulchritudo nuncia amorum Veneris, quæ inſidens uirginũ & iuuenum palpebris, alium placidis manibus coactum geſtas, alijs alium. Bonum eſt autem, non aberrantem ab eo quod cõuenit in qualibet re, meliores amores obtinere poſſe: quales fuerunt, qui Iouis & Aeginæ lectũ curauerunt, datores donorũ Veneris.

ris. Natus autem Aeacus filius Oenones, manu et conſilio præſtans. Multi eum optauerunt uidere uicini Heroes ſine pugna, & uoluerũt eius mandatis ſponte obtemperare, qui in aſperis Athenis exercitum, & per Spartam Pelopidæ ſupplices ordinabant ad genua Aeaci pro urbe & ciuibus. propter hæc gero Lydiam mitram cum cantu, ad celebrandam uictoriã Diniæ & patris. Nam data felicitas à Deo durabilior eſt, qui & Cinyram onerauit diuitijs in Cypro. Conſiſto autem leuibus pedibus, reſpirans, & cogitans quid dicam: multa enim dicta ſunt. Magnum eſt autem periculum, inuenientem noua committere ex animo. Sunt autẽ noua, inuidis opſonia: ac ſemper attingit bonos liuor, nec contendit cum deterioribus. Hic & Telamonis filium lacerauit, enſi obijciens: cum non loquacem, ſed corde fortem dolo circumuenit in triſti lite. Magnus autẽ honos propoſitus eſt. In occultis enim ſuffragijs Vlyßem Danai prætulerunt: ideo Aiax armis ſpoliatus, cum nece luctatus eſt. Atqui dißimilia uulnera prælian‑tes cum hoſtibus acceperunt in calido corpore, ab haſta defenſiua, & quando de corpore Achil lis pugnarunt, et in alijs prælijs toto decennio. Sed deceptio nocuit Aiaci, & blandi ſermones doloſi, et maleficum conuiciũ, quod lædit præ‑

ſtantes,ignobiles leuiter curat. Non *ſit mihi ta-lis mos: ſed ſimplicibus uijs uitæ ingrediar,& mortuis liberis relinquam gloriã,nec mala me fama attingat. Alij aurum,alij latos campos optant:ego uerò opto me placentẽ ciuibus mori, & laudantem honeſta,et uituperantem turpia. Creſcit autẽ uirtus exaltata iuſtè à ſapientibus, ſicut arbor uiridi rore ad liquidum aerem ſurgit. Vſus autem multiplex eſt amicorum:maxime uerò in periculis cernere fidelitatem ob oculos dulce eſt.*

Tuam uerò animam,ô Mega,reducere mihi nõ eſt poßibile:ac inanes ſpes habent ſtultũ exitum,ſed tuæ patriæ et Chariadis fundare Muſicam columnã arduam propter uictorias in curſu quatuor. Gaudeo autem, mittens conueniens ornamentum operi. Nam carmine labor fit gratus. Erant hymni & laudationes etiã olim ante Adraſti & Thebanorum bella.

ODE IX.

Chromio Aetnæo.

I*Bimus cantatum ab Apolline Sicyonio, Muſæ,ad inſtauratam Aetnam,ubi patent fores hoſpitibus completæ,ad domum Chromij. Exigite igitur dulcem hymnum carminum, propter uictorem matri & geminis fratribus,et ſpe-*

ctatoribus

ſtatoribus altæ Pythonis. Eſt autem ſermo hominum, non occultanda eſſe egregia facta. Sed congruit carmen honeſtis argumentis. Sed per uices citharam & tibiam moueamus, quæ ſunt fines equeſtrium certaminum, quæ Phœbo poſuit Adraſtus ad Aſopi fluuium: quorum ego memor, magno honore celebrabo Adraſtum: qui regnans in Sicyone, in feſtis & cœtu fortium uirorum & curribus ornabat urbem. Fugiebat enim Amphiaraum audacem, & ſeditionem domeſticam ex Argo: nec erant domini filij Talai ſeditione oppreſſi. Sed litem ſedat uir melior, cui dedit Eriphylen coniugem tanquam fidele pignus amicitiæ. Deinde ad Thebas duxerunt exercitum non fauſtis auſpicijs: nec Iupiter fulgur edens impulit ex domo ſtultos procedere, ſed potius omittere hanc profectionem. Ad manifeſtam igitur cladem feſtinauit hic exercitus, cum æneis armis & equis. In ripis autem Iſmeni impedito reditu pinguefecerunt fumum: quia ſeptem pyræ robuſtos uiros abſumpſerũt. Sed Iupiter Amphiarao fulmine diuiſit terram, ut eum cum equis hiatu abſorpſerit, priuſquam haſta Periclymeni percuſſus pudefieret. Nam in diuinis terroribus fugiunt etiam deorum filij. Si fieri poſſit, Iupiter, congreſſum cum Phœnicibus de uita

& morte quàm longiſſimè remoue: tribuas autem diu tranquillam uitam Aetnæis, & da populo læticiam. Sunt enim ibi equites, & qui habent mentes quæ antecellunt diuitijs. Dico rem incredibilem. Verecũdia enim lucro expellitur, quæ gloriam affert Chromio. Nam qui fuit miles eius in prælijs pedeſtribus & equeſtribus et naualibus, potuit iudicare magna fuiſſe pericula pugnarum: quia in bellis illa dea Verecundia armat eius animũ bellicoſum, ut pugnæ malum depellat. Pauci autem poſſunt præſente cæde deliberare, quomodo auertãt nubem, uidelicet hoſtilem aciem, manibus & conſilio. Dicitur Hectoris gloria floruiſſe ad Scamãdrum: ſed prope arduas ripas Helori, ubi nominant homines Martis traiectũ, lux emicuit Chromij in prima iuuenta. Dicam alio tempore alia eius facta, in terra & in mari. Ex laboribus iuſtis in iuuentute, fit ſenectuti placidum æuum. Sciat ſe nactũ eſſe à Deo beatitudinem, qui habet cum diuitijs gloriam. Nam mortalibus nõ conceditur, aliam ſpeculam pedibus attingere. Tranquillitatem amant conuiuia, & recens uictoria creſcit molli cantilena. Vox eſt in conuiuio confidentior. Aliquis infundat hymni inchoatorem calicem, & argenteis phialis uinum circumferat, quas equi acquiſiuerunt Chromio, & miſerunt Apol-

lini cum coronis ex Sicyone. Iupiter facito, ut celebrem hanc uirtutẽ cum Gratijs, et ſuper multas uictorias prædicem eam carminibus, iaculans proximè ad ſcopum Muſarum.

ODE X.

Theæo filio Vlij.

DAnai urbem, quinquaginta puellarum domicilium, Argos Iunonis domum, celebrate ô Charites. Lucet innumeris uirtutibus, propter fortia facta. Longæ hiſtoriæ ſunt Perſei de Meduſa & Gorgone: multæ in Aegypto urbes conditæ ſunt Epaphi manibus. Nec Hypermneſtra errauit, ſola retinens in uagina gladiũ. Diomedem Pallas deum fecit. Terra Thebis fulmine icta, excepit Amphiaraum belli nubem: et excellit formoſis mulieribus Argos: quia Iupiter ueniens ad Alcmenem & Danaen, huius famæ autor eſt & patri Adraſti Talao, & Lynceo dedit ſapientiam & iuſticiam. Iuuit & bellũ Amphitryonis Iupiter, & ſocius factus eſt generis. Cum enim ferreis armis deſtruxit Teleboas, tunc ei aſsimulatus Iupiter, intrauit in aulam, afferens ſemen intrepidum Herculis, cuius uxor Hebe in cœlo prope matrem Iunonem incedens eſt. Nõ eſt autem tanta mea facundia, ut poſsim enumerare omnia honeſta quæ habet templum Argiuum,

Argiuum. Difficile eſt autem ſuſtinere faſti-dium. Attamen excitato lyram, & ſume curam luctarum. Certamen æneum hortatur populum ad ſacrificium Iunonis, & ad certaminum iudicium, in quibus uictor filius Vlij duas habuit uictorias. Vicit autem & cæteros Græcos in Pythone, & in Iſthmijs & Nemeis coronam dedit Muſis concinnandam: ter in Iſthmijs, & ter in Nemeis. O Iupiter, quid amplius optet? Omnis enim ſucceſſus penes te eſt: nec ignauo corde afferẽs audaciam, petit à te hoc donum. Nota Deo cano, & ipſi uictori, qui certat de cacumine certaminum. Habet autem Piſa ſupremam Herculis legem, & ſuaues uoces Athenienſium per interualla bis eum in ſacrificijs laudauerunt. Fuit autem præmium uictoriæ, urceus igni coctus, qui uenit ad Argos inter multa uaſa. Sequitur gloria certaminum ueſtrum genus maternũ, unà cum Gratijs & Tyndaridis frequenter. Ac dignus ego exiſtimer, non occultare laudes horum, cum cognatus ſum Thraſycli & Antiæ Argiuorum. Quot enim uictorijs illa Prœti urbs equeſtris floruit in Corinthi angulo, & quater in Nemeis? ex Sicyone honorati argenteis phialis proceſſerũt, ex Pellene Achaica induti mollibus filis. Aeris autem copiam nõ poſſum recitare: maioris enim eſt ocij numerare,

quid

quid Clitor, & Tegea, & altæ urbes Achaicæ donauerint, & quantum dederit Lycæum apud aram Iouis uincentibus manuum & pedum robore. Cum enim Caſtor & Pollux fuerint hoſpites apud Pamphaen, generis tui autorem, nō eſt mirum poſteris inſitum eſſe, ut fiant boni athletæ. Quia Caſtor et Pollux cuſtodes Spartæ, cum Mercurio & Hercule gubernant ſortem certaminum, & conuiuia uictorialia. Valde enim curant uiros iuſtos: quia deorum genus fidele eſt. Permutantes enim uices, alterum diem Ioui tribuunt, alterum in ſpecubus terræ in cauis locis Therapnes degentes, ſimilem conditionem habent. Quia Pollux hunc uitæ modum potius elegit, quam ſine fratre in cœlo eſſe: cum Caſtor in prælio interfectus eſſet. Nā Idas iratus propter boues, uulnerauit cuſpide haſtæ Caſtorem. A Taygeto enim pede ſpeculans uidit Lynceus in trunco querno ſedentes Caſtorem & Pollucem. Oculi enim Lyncei acutiſſimi erant, præ omniū hominum oculis. Velociſſimis pedibus Lynceus & Idas ad Caſtorem & Pollucem uenerunt, & magnum opus conati ſunt celeriter, & grauia paſſi ſunt. Mox enim uenit Pollux, interfecto Caſtore: iſti autem reſtiterunt prope tumulum patris, unde acceptam Plutonis ſaxeam ſtatuam proiecerunt in pectus Pollucis. ſed cum non col

liſerunt, neq; repreſſerunt. Incitatus igitur, adegit telum in latus Lyncei. Iupiter uerò deiecit in Idam fumoſum fulmen. Simul autem combuſti ſunt Lynceus & Idas, deſerti. Adeò difficile eſt homini, pugnare cum potentioribus. Celeriter autem Pollux ad fratrem rediјt, & eum nondum mortuum deprehendit, ſed anhelitu rigentem. Effundens autem calidas lacrimas inter gemitus, altùm clamat: Quis erit finis luctuum? Mihi etiam mortem infligas ô Iupiter. Orbato enim amicis perijt honos. Pauci homines in rebus aduerſis fideles ſunt, ut ſocij ſint periculorum. Sic dixit. Iupiter autem ad eum uenit, & dixit hæc uerba: Tu meus filius es: hunc uerò Tyndarus maritus, accedens ad matrem tuam, mortale ſemen ſtillauit. Sed tamen hanc electionem tibi tribuo, ſi ſine morte, ſine moleſta ſenecta uis in cœlo eſſe, cum Pallade & Marte, frui hoc bono potes. Sed ſi pro fratre uis præliari, et tribuere ei æqualem portionem omnium, per uices aliàs ſpirato ſub terra, aliàs in aureis cœli ſedibus. Hæc cum dixiſſet Iupiter, non dubitauit Pollux: ſed mox aperuit oculum galeati fratris, & uocem ei reddidit.

ODE

ODE XI.

Ariſtagoræ Tenedio, filio Arceſilæ.

O Veſta, filia Rheæ, Iouis & Iunonis ſoror, quæ curiam cuſtodis, excipito Ariſtagoram in thalamum tuum, & eius collegas qui propè ſunt cum ſceptro: qui te honorantes cuſtodiunt Tenedũ, ſæpe libationibus & fumis te primam dearum uenerantes, ſonante cithara et cantu in ſacrificio Iouis hoſpitalis. Tu, inquã, Veſta efficito eis magiſtratũ anni glorioſum, & ſine dolore. Beatum duco patrem Arceſilam, & ſpecioſum corpus, & Atremiam cognatum. Si quis diuitias habens, & forma antecellit alijs, et uictor eſt in certaminibus: is meminerit, ſe circumdatum eſſe mortalibus membris, et tandem terram ſubiturum eſſe. Sed celebratio bonorum ſermonibus conuenit, & dulcibus carminibus uariata canere: Et ex uicinis uictoriæ ſedecim coronarunt Ariſtagoram, et nobilem patriã, in lucta & pancratio. Spes parentum ſegniores iuuenẽ impedierunt experiri certamina in Pythone & Olympijs. Per meum iuramentum, & per meam opinionem dico, rediturum fuiſſe ex Pythijs & Olympijs pulcrius, quàm alij antagoniſtæ redijſſent: et celebraturũ fuiſſe quinquennale

quennale feſtum inſtitutũ Herculi, *ligata coma purpureis ramis.*Sed *alios homines iactãtia inanis priuat bonis: alios fruſtratur uerecundia, diffiſa proprijs uiribus, ceu manu retro trahẽs.* Facile *erat conijcere, ortũ eum eſſe ex* Piſandri *ſanguine, ex* Sparta: (*ab* Amyclis *enim profectus eſt cum* Oreſte, *huc ducens exercitũ* Aeolicum) *&* pendere *genus à* Melanippo *materno auo, ad* Iſmeni *fluenta.* Antiquæ *uirtutes propagantur, ſed mutantes robur per interualla.* Nam *nec nigra arua gignunt continuò fruges, nec arbores ſingulis annis florem generoſum ferunt diuitijs ſimilem, ſed per uices: ſic fata & hominũ uirtutem per uices reducũt.* Nec *euentus à* Ioue *ordinati nobis noti ſunt, ſed tamen ſuperbè multa magna opera tentamus.* Membra *enim noſtra alligata ſunt impudẽti ſpe, et prouidentia remota eſt.* Oportet *igitur menſuram negociorũ uenari.* Maior *enim eſt inſania, concupiſcere impoßibilia.*

ISTH-

ISTHMIA PINDARI.

ODE I.

Herodoto Thebano.

MATER mea Thebe, tenens aureum clypeum, tuũ opus anteponam alijs negocijs: ne mihi aſpera Delos ſuccenſeat, in qua ſudi aliquid gratum bonis parentibus. Cede inſula Apollini dicata: iungam utrunq; beneficium, Deo iuuante, & intonſum Phœbum celebrans in circumflua Ceo cum inſulanis, & iugum Iſthmi: poſtquam ſex coronas dedit exercitui Cadmi, ex certaminibus decus patriæ uictoriale, in qua intrepidum Alcmena filium peperit, quem timuerũt Geryonæ canes. Ego autem Herodoto hoc carmen apparans donum currui, qui habenas ſuis manibus rexit, uolo eum adiungere Caſtori uel Iolao. Hi enim & in Lacedæmone & Thebis aurigæ præſtantiſſimi nati ſunt, & in certaminibus plurima nacti ſunt præmia. Fulget clara uirtus in ſtadijs, & in curſibus: quàm fortiter manibus iaculabantur haſtas, & diſcos iaciebant? Non enim tunc erat pentathlum, ſed quælibet certamina habebant

bant ſuas coronas : propter quæ ſæpè coronati cõnſpecti ſunt ad Dirces fluenta, & ad Eurotã, Iphiclis filius, ciuis Thebanorum, & Caſtor, habitans Therapnen inter Achæos. Saluete Heroes. Ego autem Neptuno & Iſthmo & Oncheſti littori curans hymnum, celebrabo miram fortunam patris Aſopodori, & Orchomeni patriã terram, quæ ipſum extruſum naufragio ex immenſo ſale in horrida fortuna excepit. Nũc rurſus eum fortuna ad priorem tranquillitatẽ reduxit. Fit autem cautior, qui ſemel aduerſa paſſus eſt. Cum uirtus omni modo his duobus conſtet, ſumptu & labore : oportet his qui eam habent, gloriã tribuere nõ inuidis mentibus. Leue enim donum eſt ſapienti, pro uarijs laboribus dicenti laudes celebrare, cõmune bonum. Alijs negocijs alia præmia ſunt: paſtori, agricolæ, aucupi, piſcatori. hi fructum hunc habent, ut famẽ depellant: ſed uictor in certaminibus & prælijs hoc accipit præmium, ut hymnis ciuium & hoſpitum laudetur. Nobis autem conuenit per uices Neptunum celebrare, & tuos filios Amphitryo, & angulum Minyæ, & Eleuſinen nemus Cereris, & Eubœam propter uictorias in curſu, & tuum lucum Proteſilae in Theſſalia annumero. Sed hymni breuitas non concedit omnes uictorias Herodoti recitare. Certè ſæpe tacere

plus

plus affert gratiæ. Vtinam alis Pieridũ elatus, & ex Pythijs & ex Olympijs manu ſtipatus, ramis oleæ honorem Thebis afferas. Si quis intus clam diuitias coaceruat, et incidens in alios deridet eos, non cogitat quòd animam ſine gloria Plutoni pendat.

ODE II.

Xenocrati Agrigentino.

VEteres, qui Muſarum cõſcenderunt currum, tenẽtes citharam, facilè dulces pueriles hymnos miſerunt, ſi quis formoſus habuit maturam ætatem procam Veneris. Tunc enim Muſa non erat auara, nec mercenaria: nec uendebantur Terpſichoræ cantilenæ deargẽtatæ facies. Nunc uerò Muſa concedit ſeruare dictum Argiui uiri, quod proximè ad ueritatem accedit: Pecuniæ, pecuniæ uir. Sic dixit facultatibus & amicis deſtitutus. Sed ipſe ſapiens es. Non ignota autẽ cano, uidelicet Iſthmiam equeſtrẽ uictoriam, quam Xenocrati Neptunus ex Dorico apio miſit, comis eius coronam, honorans equeſtrem uirum, lumen Agrigentinorum. In Criſa eum uidit Apollo, & uictoriam ei dèdit, & ibi accommodatis Gratijs Atticis Athenis, non accuſauit aurigæ laxam manum, quam Nicomachus opportunè agitat omnibus habenis.

Hunc

Hunc & præcones Olympici nouerunt, ſacrificuli Iouis in Elide: qui cum hoſpitaliter exceperunt aureis genubus, appropinquantem uictoriæ per ſuam terram, quam nominãt Iouis nemus, ubi filij Aeneſidemi immortalibus honoribus affecti ſunt. Non enim uobis ignotæ ſunt ædes hymnorum & carminum, ô Thraſybule. Non aſpera uia eſt canere laudes clarorum uirorum. Ego igitur tam procul iaculari ſermonem potero, quantum Xenocrates cæteros dulcedine morum ſuperat. Eſt enim uenerandus ciuibus, & in Græcis conuentibus equeſtria certamina rexit, & omnes deorum feſtos dies amplectitur, nec unquam uela aufert hoſpitibus ſecundo uento aduenientibus. In æſtate nauigat ad Phaſim, in hyeme ad Nilum. Nec uerò, quia inuidia pendet in animis hominum, paternam uirtutem ſileat quiſpiam: nec hymnos, quia non tardos feci. Hæc dicito, cum ueneris ad meum familiarem hoſpitem.

ODE III.

Meliſſo Thebano.

SI *quis hominum fortunatus ſiue in glorioſis certaminibus, ſiue in diuitijs, retinet in animo fluxam ſaturitatẽ, dignus eſt ciuium laudibus. O' Iupiter, ex te comitantur magnæ uirtutes:*

lutes:& durabilior eſt fœlicitas, eorum qui futura curant. Peruerſis uerò mentibus non omni tempore adeſt florens proſperitas. Decet autem bonos, honeſtorum operum præmia celebrare, et canentem amabilibus Gratijs afferre. Habet autem Meliſſus ſortem duorum certaminum, qua cor ad dulcem lætitiam flectit. Accepit coronã in Iſthmi ualle, deinde in prato Nemeæ: ornauit Thebas præconio propter uictoriam equeſtrẽ, nec dedecorat generis uirtutem. Scitis enim Cleonymi gloriam ueterem in curru, & materno genere à Labdacidis participes diuitiarum excellebant quadrigis. Aetas autem reuolutione dierum alia aliàs mutat: ſed deorũ filij ſunt inuulnerabiles.

ODE IIII.

Eidem Meliſſo.

SVnt mihi, Deo iuuante, multæ uiæ ubiq;, ô Meliſſe. Facultatem enim tu mihi oſtendiſti, ut hymno ueſtras uirtutes perſequar, quibus perpetuò florẽtes Dei auxilio poſteri Cleonymi mortalem uitam tranſigunt. Aliquando autem alius uentus ſurgens agitat. Thebis quidem honorati ex antiqua ſtirpe celebrantur, & hoſpites uicinorum, & alieni à tumultuante iniuria. Quæcunq; uerò teſtimonia fe-

runtur de maxima uirtute uirorum mortuorũ, hæc attigerũt iſti. Domo uſq; ad columnas Her culis peruenerũt gloria: nec ulterius extenden da eſt uirtus. Et fuerunt equites, & æneo Mar ti placuerunt: ſed uno die aſpera belli tempeſtas quatuor uiris orbauit beatam domũ. Nunc rur ſus poſt hybernam caliginem terra floret, ue-lut purpureis roſis, diuino conſilio. Neptunus uerò habitãs Oncheſtum, & pontem maris an-te Corinthi mœnia, præbens hunc hymnum ge neri electo, reducit ueterem famam egregio-rum operum. Fuerat enim ſopita: ſed excitata colore lucet, ſicut Lucifer ſplendet inter alias ſtellas. Quæ fama & Athenis ciuilem uicto-riam nunciãs, & in Adraſti certaminibus, præ-buit illi ætati carmina. Nec retraxerunt tui ma iores currus à publicis cõuentibus, & certantes inter Græcos ſumptu equorum gaudebant. Eo-rum enim qui nihil experti ſunt, obliuio eſt: ſed fortuna pugnantium ante finem incerta eſt. Fi-nem enim dat fortuna, & fraus deprehendens aliquando euertit fortiorem per deteriores. Sci tis Aiacis necem, quam faciens ſuo enſe, probrũ reliquit omnibus Græcis apud Troiã. Sed Ho-merus eum apud homines laudauit, qui omnem eius uirtutem ad uirgam carminum recitauit, poſteris celebrandam. Fit enim carmen immor

tale,

tale, ſi quis aliquid bene et utiliter dixit: & inextinguibilis ſplendor factorū, trāſit per terrā & per mare. Vtinam habeā beneuolas Muſas, ut lampada hymnorum accendere poßim Meliſſo, filio Teleſiadæ. Audacia enim ſimilis leonū in uenādo cōſilio uulpes, quæ iacens ſupina moratur impetū aquilæ. Oportet enim omnia facere repellendi hoſtis cauſa. Non habet Meliſſus Orionis corpus, ſed deformi ſpecie eſt: & olim Hercules breuior, ſed inuictus, ad Antæi domum in Libyam ex Thebis uenit, ut dimicans compeſceret Antæum, qui ex hoſpitum cranijs templum Neptuno fecerat. Qui cum inueniſſet latitudinem totius terræ & maris, & pacaſſet mare nauigationibus, aſcendit in Olympum: & nunc habitat apud Iouem beatam domum, tranquillam uitam agens, honoratus & carus dijs, & Heben dedit Iupiter genero Iunonis. Huic ſupra portas Thebanas conuiuiū parantes ciues, & nouas aras augemus, ſacrificia interfectorū octo fortium, quos pepererat ei Megara filia Creontis, quibus in occaſu ſolis flamma oriens lucet, tota nocte odorato fumo feriēs ætherem: & ſequens dies conſtitutus eſt annuis certaminibus, ubi coronatus myrto hic uir Meliſſus duplicem uictoriā adeptus eſt, cum antea ex adoleſcentibus tertiam nactus eſſet conſilio aurigæ

gubernatoris. Cum Orſea igitur Meliſſum laudabo, iucundam ſtillans gratiam.

ODE V.

Phylacidæ Aeginetæ.

INclyta mater ſolis Thia, propter te aurum exiſtimant homines excellentius alijs metallis. Nam & naues contendentes in mari, & in curribus equi, propter tuum honorem in certaminibus mirandi ſunt: & in ſpectaculis adeptus eſt gloriã uictor manibus & celeritate pedum, cui coronæ ligarunt comam. Victoria autem à Deo eſt. Duo autem ſunt, quæ difficilem uitæ florem fouent, & beatum faciunt: ſi quis bene ſe habens, etiã celebretur. Nec uelis Iupiter fieri. Omnia habes, ſi bona illa habes: mortalia mortalibus congruunt. Tibi uerò in Iſthmo duæ uictoriæ contigerunt, ô Phylacida: & duas in Nemeis ex Pancratio adeptus eſt Pytheas. Sed meum cor non ſine Aeacidis, hymnos de hac honeſta urbe attingit. Veni cum Gratijs ad Lamponis filios, cum uita eorum peracta ſit in puritate operum, quæ Deus eis dedit. Ne inuideas eis, pro laboribus conuenientes laudes tribui. Etiam inſignes Heroes alij lucrati ſunt laudes, & celebrantur citharis et tibijs omni tempore. Heroes qui coluntur, præbent poetis laborem,

propter

propter Iouē. Apud Aetolos in ſacrificijs Oenidæ, Thebis eques Iolaus honorem habet: Perſeus in Argo, Caſtor et Pollux ad Eurotam: ſed in Aegina, filij Aeaci, qui bis urbē Troiam expugnarūt, primùm comitati Herculem, poſtea Atridas. O' Muſa, nunc ago currus per planos campos: dic quis Cygnum, quis Hectorem occiderit: quis Memnonem, ducem Aethiopum audacē: quis Telephum uulnerauerit ſua haſta, in ripa Caici. Illi uidelicet, qui patriā habēt Aeginam. Turris iam olim eis extructa eſt, quam altis uirtutibus aſcendunt. Habet & lingua mea multas ſagittas, ſonare circa illa trophæa. Et nunc in bello teſtimonium eſt uirtutis Aeginetarum, Aiacis ciuitas Salamis, defenſa à nautis in exitiali imbre & grandine innumerabilium uirorum. Sed gloriationem ſilentio mergito. hæc & illa tribuit Iupiter, Iupiter omniū dominus. Victoriæ amant, ut mella, uictoriales hymnos. Pugnet & alius ſtrenuè laborans, ut Cleonicus, diſcēs genus in certaminibus. Non extinguitur magnus labor uirorum, neque memoria ſumptuum bonæ ſpei acuit curam. Laudo & Pythea, inter inſtructores idoneum regere ictus, manibus et conſilio pollentem. apprehende ei coronam, & uilloſam mitram, & mitte recentem hymnum.

BIBLIOTECA NAZ. • VITTORIO EMANUELE • ROMA

ODE VI.

Phylacidæ, Pytheæ, Euthymeni.

SEcundum calicem carminum, ut in conuiuio, ponimus, pro filijs Lamponis. In Nemeis enim primum calicẽ tibi ô Iupiter poſuimus, accepto flore coronali. Nunc alterum in Iſthmo tibi Neptuno, & quinquaginta Nereidibus, cum uicit iunior Phylacides. Vtinam & tertium calicem Ioui Seruatori liceat in Aegina libari, cum carminibus. Si quis ſumptu & labore lætatus, diuinas uirtutes perficit, & ei Deus amabilem gloriam ſerit, is ancorã iecit ad ſummam beatitudinẽ, à Deo honore donatus. Hos mores habens optat Cleonici filius, ſenectam et mortem. Ego autem oro Parcas, ut uota cari hominis ſequantur. Iam ô Aeacide dico, mihi ius clariſſimum eſſe, accedenti in hanc inſulam, aſpergere uos laude. Sunt autem multæ & amplæ uiæ laudandi honeſta facta ultra Nilum, et ultra Hyperboreos. Nec ulla eſt tam barbarica ciuitas, aut peregrinæ linguæ, quæ nõ audierit Pelei laudes, neq; quæ Aiacis aut patris laudes non audierit, quem Hercules cum Argiuis ad Troiam duxit ſocium propter Laomedontis delictum. Cæpit autem Pergama, & occidit Coorum gentem, et bubulcum monti æqualem

Alcyonea

Alcyonea, inuẽtum in Phlegris: nec pepercit arcui ſuo. Vocans autem Telamonem ad nauigandum, præconium facit omnibus conuiuantibus. Iubet autem Telamon Herculem, ſtantẽ in pelle leonis, incipere libationem nectaris, & tradidit ei poculum aureũ. Hercules autem tendens manus inuictas ad cœlum, dixit hæc uerba: Si unquam Iupiter meas preces libenter audiuiſti, nunc tibi ſupplico ſacris precibus, ut fortem filium des huic Telamoni: ipſi uerò tribuas, ut feliciter fatale tempus perficiat, & ſit ei fortitudo inuicta, & comitetur & maneat animus, ſicut illi quem circundat hæc pellis leonis, quem in primo certamine in Nemea occidi. Hæc cum dixiſſet, miſit ei Iupiter aquilam, ducẽ auium. Quare ipſe ualde lætatus eſt, & dixit Hercules ut uates: Erit tibi filius quem petis, & eum à cõſpecta aue nominato fortem Aiacem, terribilem in prælijs. Sic fatus, conſedit. Mihi uerò longum eſſet, omnes uirtutes horum narrare. Veni enim ô Muſa, ut diſpenſator laudum Phylacidæ & Pytheæ & Euthymenis. Dicetur autem breuiſſimè, Argolico more. Tulerunt enim uictorias ex Pancratio, tres in Iſthmo, & alias in Nemeis, filij & auunculi. Qualem uerò fortem hymnorũ reduxerunt in lucem? Et rigant familiam Pſalychiadarum rore Gratiarum, &

regentes domum Themiſtij habitant Aeginam, Lampon uerò tribuens diligentiam omni negocio, maximè ueneratur dictum Heſiodi, & filijs narrat, ornans patriam: & carus hoſpitibus, mediocritatem mente ſectans, & mediocritatem retinens: nec lingua extra mentem uagatur. Dixeris eum inter athletas eſſe, ut inter lapides cotē Naxiam. Potabo eos pura aqua Dirces, quam filiæ Mnemoſynes produxerunt apud Cadmi portas.

ODE VII.

Strepſiadæ Thebano.

QVo uiro, aut facto honeſto ueteri, Thebe præcipuè lætaris? an quòd peperiſti Bacchum, Cereris comitem? an quòd excepiſti media nocte Iouem ningentem aurum, quando ad Amphitryonis uxorem acceſſit, ut Herculē aigneret? aut quòd Tireſiam uatem habuiſti, aut Iolaum equitē? aut propter bellicoſos Spartos, ex Draconis dentibus natos? aut quòd Adraſtum, ex pugna orbatum magno exercitu, remiſiſti ad Argos? aut quòd Heraclidis addidiſti Aegidas, coloniam ducentibus ad Lacedæmonem, cum Aegidæ cæperūt Amyclas? Sed uetus gratia dormit, & homines ſunt immemores, quando non accedit flos ſapientiæ cum carminum

num flumine. Canito deinde dulcem hymnum cum Strepſiade. Nam ex Iſthmo uictoriam pancratij habet robore admirãdus, & ſpecie & forma uirtutem oſtendit non indecoram pulchritudini corporis. Et nunc fulget Muſarum honore: & auunculo eiuſdem nominis dat commune decus, qui in prælio mortuus eſt. Honos autem pro benefactis reponitur. Qui in tali nebula grandinem ſanguinis à patria repellit, hoſtibus reddens contrarium exitium, is ſciat ſe apud ciues augere gloriam, ſiue uiuat, ſiue occubuerit. Tu uerò Diodoti fili, referens Meleagrum & Hectorem & Amphiaraum, expiraſti in acie, ubi præſtantiſſimi præliati ſunt, et extrema ſpe ſuſtinuerunt mortem. Sed nunc Neptunus dedit ſerenitatem, poſt tempeſtatem. Canam igitur ſumpta corona, nec mihi dij inuideãt: ſed quærens quotidie uitam dulcem, tranquillus ueniã ad ſenectam, & ad fatale tempus. Omnes enim morimur, & fortuna incerta eſt. Si quis autem longinqua ſpectat, minor eſt quàm ut in cœlum aſcendat: quia alatus Pegaſus excuſſit dominum Bellerophontem, uolentẽ in cœli ſtationem ingredi, ad colloquium Iouis. Nam uoluptatem iniuſtã amarus exitus ſequitur. Tu autẽ Apollo nobis tradito et in Pythio certamine coronam.

ODE VIII.

Cleandro Æginetæ.

CLeandro quiſpiam, & iuuentuti eius, emat laborum præmium, accedens ad ueſtibulũ patris eius, & colligat laudes uictoriarum in Iſthmijs & Nemeis, quia uictorijs potitus eſt: et ego, quanquam lugeo mortem patris eius, tamen Muſam poſco. Soluti enim magno luctu, non maneamus ſine coronis: neque luctui indulgeas. Omiſſo enim inutili dolore, hilaritatem in publico oſtendamus poſt laborem, cum Deus Tantalium lapidem nobis ſuper caput aduoluerit: uidelicet bellũ Græciæ. Sed mihi præteritum dolorem finiuit præſens uictoria. Semper enim res præſens magis mouet animũ. Fortuna enim incerta eſt, uoluens uitæ curſum: & ſalua libertate hæc mala ſananda ſunt. Ac oportet uiros retinere ſpem bonam. Oportet autẽ me Thebis educatum, tribuere gratum munus Aeginæ, propter patrem. Fuerunt enim geminæ Aſopi filiæ, Thebe et Aegina, minores natu: quæ Ioui placuerunt, quando Aſopum ducẽ conſtituit ad Dircen. Aeginam uerò transferens in Oenopiam, ubi peperit uenerandum Aeacum Tonanti: qui & iudicia deorum adminiſtrauit. cuius filij fuerunt præſtantiſſimi uiri, et filij filiorum

liorum fortitudine prælia facere periti fuerũt, & fuerunt ſapientes. Hæc meminerunt & dij, quando Iupiter & Neptunus contenderunt de nuptijs Thetios. amore enim tenebantur. Sed dij non cõceſſerunt eis hunc thalamum, poſtquam fata conſuluerunt. Dixit enim Themis, fatum eſſe, ut Thetis pariat filium fortiorem patre: ſi ex Ioue concipiat, telum fulmine fortius miſſurum eſſe: tridentem uerò inuictum, ſi ex Neptuno concipiat. Deſinite ergo contendere. Sed nacta mortalem uirum, uideat mortalem filium ſimilem Marti in pugnis, & ſimilem fulguri robore pedum. Meum eſt, dare eam Peleo Aeacidæ cõiugem, quem ferunt iuſtiſſimũ ali in campo Iolci. Eant autem nuncij mox in antrũ Chironis, nec filia Nerei nobis rurſus certamina præbeat. Veſpere autem plenilunij, ſoluat frenum uirginitatis apud Heroem. Sic locuta eſt Themis, ad Saturni filios. illi uerò palpebris annuerunt: nec perijt fructus ſermonis Dicunt enim, regem iunxiſſe nuptias Thetidos, et docti uiri celebrarunt nouam uirtutem Achillis, ipſis ignorantibus: quòd & Myſium nigra cæde, uitiferum campum conſpergens, uulnerato Telepho cruentarit; & conſtruxerit reditum Atridis, & Helenam ſoluerit, neruos Troiæ excindens, qui ipſam Troiam defenderãt praliantes

in

in pugnis: uidelicet Memnonem, Hectorem, & alios duces. quibus denuncians mortem Achilles, Aeginam ſuam admirandam oſtendit: quem nec mortuum deſtituerunt carmina, ſed ei ad rogum aſtiterunt uirgines Heliconiæ, & fuderũt celebrem lamentationẽ. Viſum eſt igitur dijs, uirum præſtantem etiam mortuũ tradere hymnis dearum. Ideo & nunc Muſarum currus celebrat, & promptus eſt ſonare pugilis memoriam: et eum honorare, qui nactus eſt Doricam coronam ex apio in Iſthmijs: quia uicinos uicit, inuicta manu fugans: nec dedecorat genus patruelis. Aliquis etiam iuuenum ex myrto nectat coronam Cleandro: quia & nunc in Alcathoi agone felix fuit, et eum prius in Epidauro iuuentus excepit, et præbet eum laudandum bonis. Adoleſcentiam enim non ignauam in palæſtra honeſtorum iuuenum exercuit.

FINIS PINdari.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PINDARO, EX *Suida & Volaterrano.*

PIndarus genere Thebanus, temporibus fuit Aeſchyli poetæ, & Perſarum expeditionis in Græciam. Duas ſuſcepit filias. A patre tibiam primò, mox ab Hermione lyram edoctus eſt. Eius gratia Lacædemonij, in reliquam Bœotiam ſæuientes, Thebis pepercerunt, animaduerſa in foribus nominis eius inſcriptione: quod etiam, procedente poſtea tempore, memorãt Alexandrũ feciſſe. In quodam ipſe carmine Athenas magnificas appellauit: quapropter pecunia à Thebanis mulctatus eſt, quam Athenienſes grati deinde exoluerunt. Scripſit lingua patria, id eſt Dorica, Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia: quorum magna pars amiſſa eſt. Inter nouem lyricos princeps putatur: qui ſunt, Pindarus, Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon. Altiſsimus fertur & uerborum & ſententiarũ copia, ut ait Quintilianus: grauitate arduus, conſtructioneq; ac ordine immenſus atq; prolixus: quem imitari poſſe Horatius negat. Apud Græcos certè ultima eſt lectio, eorum qui iam profecerũt inter poetas: ſicuti & Thucydidis, in ſoluta oratione. Hactenus Volaterranus. Porrò Quintiliani de hoc poeta teſtimonium ſic habet: Nouem uerò Lyricorum, inquit, longè Pindarus princeps, ſpiritus magnificentia, ſententijs, figuris, beatiſsima rerum uerborumq; copia, & ueluti quodã eloquẽtię flumine: propter quæ

Horatius

Horatius eum meritò credidit nemini imita-bilem. Horatij autem de hoc ipſo iudicium, quod extat Odarũ eius libro 4. Od.2. ad Ant. Iulium, in primis hoc loco recenſere operæprecium eſt. ait enim:

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens uelut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluêre ripas,
Feruet, immenſusq; ruit profundo
Pindarus ore.
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaceis noua d[illegible]
Verba deuoluit, numerisq; fertur
Lege ſolutis.
Seu deos, regeisq; canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidêre iuſta
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimeræ.
Siue, quos Elea domum reducit
Palma cæleſteis, pugilém ue, equum 'ue
Dicit, & centum potiore ſignis
Munere donat.
Flebili ſponſæ iuuenem 'ue raptum
Plorat, & uireis, animumq;, moresq;
Aureos deducit in aſtra, nigroq;
Inuidet Orco.
Multa Dircæum leuat aura cygnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus, &c.——

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BASILEAE, EX OFFICI-
na [redacted], Anno Salutis
humanæ M. D. LVIII.
Menſe Iunio.

MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO 32